This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

Phys. 192.

102. [illegible].38.



Digitized by Google

Fr. Bern. de Smet Ord
Erem S. P. Augustini ac-
quisivit Teneræmōd
1686.

Hoc opusculum minori
formâ, at majori & me-
liori charactere excusū
est Amsterdami apud
Guilielmum Blaeu, an.
1632.

Digitized by Google

Digitized by Google

IOH. IONSTONI
Poloni

NATVRÆ CONSTANTIA:

Seu

DIATRIBE,

In qua, per posteriorum temporum cum prioribus collationem, Mundum, nec ratione sui totius, nec totius partium, universaliter & perpetuo in pejus ruere, ostenditur.

AMSTELODAMI,
Apud IOANNEM IANSSONIVM.
M. D C. XXXIV.

Digitized by Google

Sum ex iis qui miror antiquos, non tamen, ut quidam, temporum nostrorum ingenia despicio. Neque enim quasi lassa & effœta natura, ut nihil jam laudabile pariat. Plin. lib. 6. Ep. 21.

Et ut Tacitus loquitur.

Rebus cunctis inest quidam velut orbis, ut temporum ita morum vices vertantur: nec omnia apud priores meliora, sed nostra quoque ætas multa laudi & artium imitanda, posteris tulit. in Annal.

Digitized by Google

Illustrissimis & Generosissimis Dominis,

D. ANDREÆ
D. RAPHAELI

Comitibus de Leszno, Palatinid. Belzensib.

D. GEORGIO de Konary Slupecky, Castellanidæ Lublinensi.

Dominis Gratiosissimis,

Salutem cum officiosa observantia.

ETSI nihil fere est, *Illustrissimi Domini*, quod non Constantiæ Naturæ patrocinetur; inter cætera tamen argumenta, & vestra præillustris familia palmariæ rationis loco esse videtur. A *Dambrovvcæ* temporibus, quibus felicitatem *Poloniæ* induxistis, ad præsentem diem tot *Senatores Regni* numeratis, quot avos & proavos retro acta memoria recolit, tantarum virtutum omnes, ut in vestris penetralibus natæ hæ Divæ videantur. Fuisse inter illos *Pios*, Monasteriorum fundationes, & effusa in Ecclesiam beneficia testantur; fuisse *Magnanimos*, depositi

Digitized by Google

ſupremi honores, ut ex inferioribus ſuſceptis, ſalus libertati conſtaret, argumento ſunt. Fuere qui majores longe *Lepidis*, ætatis ſtabilimentum prudenter faciendi celeritate præcurrêre, eo anno Senatui præilluſtri militi, quo *Scipio* de Conſulatu cogitare non potuit. Fuiſſe de Regibus, Republica Polona, Imperatoribus benè meritos, Imperii Comitum titulus vobis à Friderico III. collatus oſtendit. Et quorſum præterita ſecula nomino: Fuit hoc ipſo *Avus veſter* illuſtris memoriæ, qui pietatem & magnanimitatem, virtutes hæreditarias, eo faſtigii provexit, ut patroni Eccleſiæ purioris nomen, prudentiſſimæ παῤῥησίας exemplum eſſe videatur. Et ne plura dicam; vivit, & utinam perennet! *Illuſtriſſimus Dominus Parens veſter*, de quo tot & tanta dici deberent, quanta nec ingenii tenuitas concipere, nec paupertina ſtyli conditio exprimere poteſt. Vocat eum Eccleſia ſuum nutricium & delicium: Senatorius ordo oracellum: Nobilitas Reipub. lumen: Muſæ patronum: & ut paucis quod volo exprimam: In ſinu ipſius natum eſſe exiſtimatur, quicquid in Heroë virtutis & prudentiæ naſci potuit. Quid vero de vobis & duobus fratribus veſtris, *Illuſtriſſimi Domini*,

Digitized by Google

ni, dicam? Heroicam *Leszyniorum* & per Illustrissimam Matrem *Ducum Sanguszcorum* sobolem video, quæ virtutum seminario generosiore concreta, florem in vere juventutis Ecclesiæ & Reipub. ostendit, ut fructus in autumno futuri, spem infallibilem faciat: De præillustri familia Tua & Teipso *Illustris Domine Slupecki*, non est quod multa dicam. Nota orbi Polonico ipsius merita, & gloriam *Illustris Parentis* Tui p m. grata memoria recolet posteritas. Tu ipse dum per Tuam omnia inclyta designas, insertus *Leszyniorum* domui, quicquid de illa dictum est, participare videris. Auream seculi in Ecclesia & Republica conservatę gloriam, vestrum adhuc est. Quod cum ita sit, Vobis, Illustres Domini, jure merito hæc Naturæ debetur Constantia: cumque & ego in præillustris familiæ vestræ clientelam venerim, vobis me hoc quicquid est opellæ debere existimo. Ad vestra itaque pulvinaria illam depono; & ne in culpam abeat, quod tam vili comitatu stipatam produceam, obnixe rogo. Nemini non reprehensioni fuit, supra tenuitatis sortem sapere, nemini fraudi lacte libasse Diis. Valete Illustrissimi Domini, Deo, Patriæ, præillustribus familiis, diutissime, mihique vobis addictissimo

simo gratioſe favere pergite. Dabam Lugduni Batavorum, menſe Novemb. An. MDC XXXII.

Illuſtriſſ. Generoſ. veſtris addictiſſ.

IOHANNES IONSTONVS.

Digitized by Google

IOH. IONSTONI NATVRÆ CONSTANTIA.

THESIS GENERALIS.

Falsum est, Mundum universaliter & perpetuò ruere in deterius.

PRÆLOQVIVM.

COmmunis per ora vulgi jactatur sententia, *Lector*, mundum hunc & omnia in eo corpora, universali quodam & perpetuo, in occasum ire decursu: nec quicquam nunc vel esse vel accidere posse, quod priscorum parentum, non dicam præponi, sed æquari possit, seculis. Nec cæli ea quæ quondam uniformitas, nec terræ fertilitas, nec plantis animalibusque vigor, nec homini vel statura vel ætas tam vegeta. Sidon. lib. 8. cap. 6. *Virtutes artium per ætatem mundi senescentis emeduluta, parum aliquid & in paucis mirandum ostendunt.* Abiit ad superos Astræa; nec quicquam in privata societate quod *Aristidi* vel *Socrati*; in Politia, quod *Fabiis, Scipionibus, Marcellis*: in Oeconomia quod *Aeneæ, Myniarum uxoribus, Manlio, Iunio*; in Ecclesia, quod *Ambrosio, Hieronyme, Augustino*; in scholis, quod *Aristoteli, Demosthenis, Ciceroni, Galeno*, &c. conferri possit. Summa. Ruunt omnia, nec retro sublata referuntur: Verum quam vere id asseratur, unicuique cordato, in timore

Digitized by Google

Domini considerandum venio. Quantum ad me, & eos quos sequor, & divinæ majestati hic inferri injuriam, & laudabilibus hominum conatibus injici remoram, video. Nam si supremus non vult ut tanta ejus nomen colatur reverentia, quanta factum antea, cur tot à nobis exigit? Si vult, cur non tantum largitur, quantum primoribus concessit? Thesaurum vero potentiæ exhauriri, omnipotentiæ competere non potest. De hominum conatibus certum est, non minus præconceptam posse diffidentiam, quam vel gravidarum imaginationem, quæ signa infantibus imprimunt; vel Melancholicorum conceptus, quibus firmiter impressis interdum per annos vexantur, exanimantur interdum. Testimonio huic rei esse potest, non tantum *Franciscus Marchio Saluzzianus*, qui prædictionibus in favorem Caroli V. scriptis fascinatus, à Francisco I, à quo Marchionatum receperat, defecit: sed & omnes illi literatii heroës, (non tango eos qui vel pigritiæ, vel inscitiæ suæ simile velamentum injiciunt) qui nil in Reipub. literariæ ærarium se conferre posse arbitrantur, quod nil dici posse quod non dictum sit prius judicent. Vere utique Quintilianus. *Orat.* 12. *Si hanc cogitationem homines habuissent, ut nemo se meliorem fore eo, qui optimus fuisset, arbitraretur, ii ipsi qui sunt, optimi non fuissent.* Ne itaque & veritas in captivitate, & Dei majestas in contumelia, & hominum conatus, ac exinde commoda, in compedibus detinerentur, mutuata præsertim ex Reverendi Viri *D. Georgii Haukvilli SS. T. D. Angli*, de hac thesi *Anglice* conscripto copioso tractatu, materia benè tamen excussa, & proprio sensu servato, præcipua, in contrarium, modestè in medium proferre, eademque cum literato orbe communicare volui. Cæterum dum Mundum universa-

Digitized by Google

universaliter & perpetuò in deterius ruere negamus, Mundum pro Cœli & terræ systemate sumimus, ruinamque in deterius universalem ratione omnium in eo corporum, intelligimus; perpetuam ratione durationis à primordio usque ad finem indigitamus; ut sensus sit: Compagem hanc cæli & terræ cum omnibus corporibus quæ iis includuntur successu temporis ab initio ad finem decurrentis, suâ naturâ in deterius non labi & ruere. At concedimus, Elementa in se transmutari, mixta alterationi & diminutioni obnoxia esse, terræ aliquid per lapsum & diluvium decessisse, mores hominum & artes variari, vitæ in iisdem longitudinem discrepare, nonnulla denique interdum occidere. Sed quia

Repetunt proprios cuncta recursus,
Redituque suo singula gaudent,
Nec manet ulli traditus ordo,
Nisi quod fini junxerit ortum
Stabilemque sui fecerit orbem (*Boetius*)

Nil contra universalem mundi ruinam facere arbitramur. * Egregia est in Elementis quaternarum virium compensatio, æqualibus justisque regulis ac terminis vices suas dispensantium. Sustulit olim aliquot oceanus insulas: at aliquot iterum enatas in Historiis legimus. *Fæcunditatem aut squallorem non modo ubique, sed nec perpetuò imposuit Deus*, verba sunt Barclaii, *in Icone Anim. c. 2. olim fælices proventibus terræ, nunc sterilibus arenis informes ac vastæ sunt; & quæ quondam crudo aëre horrebant, non tantum jam in fruges, sed & in voluptatem instrumenta luxuriant.* Emporium quondam Musarum *Hibernia* fuit, nunc, nisi ab illo sole *Usserio* & stellulis quibusdam illustraretur, planè barbaram crederemus. Sapientia olim celeberrima *Græcia*, nunc otio & simplicitate damnata spernitur.

*Philo de mundi incorruptibilitate.

tur. Barclai. l. c. *Sic omnia secula genium habent, qui mortalium animas in certa studia inflectere solet; quadam ætates præcipue armis exercitæ, mox omnia in quietem composita; tum regnorum, tum Rerump. in populis amor; nunc veluti in barbariem homines nasci, deinde facilioribus animis mansuescere, & post secula aliquot ad stipatum prima caligine ingenium redire. Ita sæpius orbis cultis hominum moribus enituit; subsidensque deinde industria, velut quadam nube subducta est.* Sunt denique * *tempora in singulis regionibus, quibus homines diutius aut brevius degunt. Diutius plerumque cum tempora sunt barbara & simplicioris victus, & exercitationi corporis magis dedita; brevius cum magis Civilia, & plus luxuriæ & otii; verum ista transeunt per vices,* &c. Et hæc est nostra sententia. Cum verò mundus vel ratione sui vel ratione partium in specie consideretur, & hæ plura corpora in se contineant, plures etiam in enodanda hac thesi ponendæ erunt propositiones. Videntur autem huc istæ Propositiones pertinere. I. *Mundum ratione sui totius non labi perpetuo in deterius.* II. *Non ratione Cœli.* III. *Non ratione Elementorum.* IV. *Non ratione mixtorum tam inanimatorum, quàm animatorum irrationalium.* V. *Non ratione hominis.* In harum itaque propositionum ἀνασκευαστικὴ & κατασκευαστικὴ tractatione, nostra versabitur dissertatio. Adsiste ô Deus menti, linguæ, calamo! Tu Lector Christiane sine præjudicio lege, cum judicio considera.

PROPOSITIO I.

Mundus ratione sui totius non labitur perpetuò in deterius.

VErissimum. Spiritum etenim Domini mundum implere inquit Salomonis sapientia; qui anima

* Verulamius in Histor. Vitæ & Mortis.

anima mundi à Platonicis dictus, nihil est aliud quàm potentia Dei, non minus se in sustentatione totius operis exerens, quam in creatione ejusdem exeruit. Unde *Iustinus Martyr: Vt id quod ortum est nunquam extitisset, nisi ipse jussisset, Fiat: sic neque permanerent, nisi idem præcepisset iis quidem quæ non intereunt, ut perpetuo starent, iis quæ oriuntur & intereunt, ut semper crescerent & multiplicarentur.* Et Scholastici dependentiam creatorum à creatore partim luci quæ in aëre remoto sole extinguitur, partim vasculo aquam contentam circumscribenti, partim sigillo in aqua impresso comparant. II. Principia, corpora naturalia constituentia, duo sunt, Materia nempe & Forma. Illa quia ingenerabilis, incorruptibilis, omnis contrarietatis expers, destrui à natura non potest. Huius ea ratio est, ut una deserente materiam, alia succedat in locum: & sic

——genitum nil emoritur
Sed transpositum ultro citroque
Formam priorem alterat. Boetius.

Nec potest profecto aliter in natura fieri. Nam nec abolitionem intendit, nec eam magis quam creationem attingere potest; nec ullo existente accessu, aliqua accidere potest diminutio. III. Sed demus quasdam mundi perpetuo decrescere partes: accrescent ergo aliæ, aut vel diminutio vel abolitio sequetur; & si sic, incredibilis inter illa consequetur disproportio, & hanc infallibilis ruina. Et certè desiisset jam per hos aliquot millenarios in cœlo influxus, in Elementis transmutatio, in mixtis virtus. At expressissimè Salomon circulum rebus inesse ait, & prout

Cadit Hesperias Phabus in undas
Sed secreto tramite rursus
Cursum solitos vertit ad ortus: (Boetius.)

sic & aliorum ratio. I.V. Denique per regulam proportionis facilè posset dies & hora exspirationis illius prædici. At id scripturæ * & Christi testimonio falsissimum est; & diversi diversè annos definiunt. *Liborovio* 1660. placet, *Rostino* 1656, *Cusano* 1700; vel saltem spacium annum 1734 antecedens, aliter *Copernicus*. In *Naperum Baronem Marchistonium* Mathematicum nulli secundum sic lusit *Ovvenus*:

Nonaginta duos durabit mundus in annos,
Mundus ad arbitrium si stat obitque tuum.
Cur mundi finem propiorem non facis, ut ne
Ante obitum mendax arguerere? Sapis.

At objicitur, *Esdram*, *Apostolum*, & *Cyprianum Martyrem* rerum occasum innuere, principiumque illud, *Vnumquodque quò magis elongatur à suo principio, eo magis deficit & languescit*, evidentissimè confirmare eosdem. Verum est expressissimè apud Esdram. *l.4.c.5.v.54. Considera tu quoque minori statura vos esse, quam eos qui antecesserunt vos; & qui post vos venturi sunt, minores futuros Vobis, quasi jam senescentibus creaturis, & robur juventutis prætereuntibus*. Certum Apostolum, *Rom.8.20,21.* scribere, quod *vanitati mundus sit subjectus*, & quod *liberabitur ex servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei*. Non potest negari verba Cypriani esse: *Illud primo loco scire debes, senuisse jam mundum, non illis viribus stare quibus prius steterat, nec vigore eo prævalere quo antea prævalebat. &c. Non hyeme nutriendis seminibus tanta imbrium copia est, non frugibus æstate torrendis solis tanta flagrantia est, nec sic verna de temperie sua læta sata sunt, nec adeo arbores fatibus facunda autumno sunt; minus de effossis & fatigatis montibus marmorum eruuntur crusta, minus argenti & auri opes suggerunt, exhausta jam metalla, & pauperes*

vena

*Matth.24.38. 2.Petri.3.10. 1.Thess.5.3.

vena tenuantur in dies singulos & decrescunt, deficit in agris agricola, in amicitiis concordia, in artibus peritia, in moribus disciplina, &c. Vera inquam hæc omnia; sed & hoc certissimum, ne quicquam inde vel nostræ sententiæ demi, vel adversæ accedere. I. Liber ille nil habet *Esdræ* quam falso emendicatum nomen & injuriam maximam. Fabulæ sunt meræ quæ de *Behemot* & *Leviathan* in *capite sexto*; falsa quæ de mundi consummatione. Apostolus infirmitatem tantum, impuritatem, & deformitatem creaturæ per lapsum contractam inquit, desolationem simul individuorum, & specierum ad totalem & finalem per ignem dissolutionem properationem; illarum denique abusum cum infamia creatoris & servorum illius damno conjunctam perstringendo. *Cyprianum* talia scripsisse non mirum. Fuere tum tam acerba propter belli, famis & pestilentiæ sævitiam, tempora, ut ejus ætatis Christiani extremum exspectarent diem, *Graserusque. lib. 3. Exol. Histor. cap. 5.* secundi & tertii sigilli apertionem in illa incidisse scripserit. At paucis post annis mutatus ille luctus in gaudium. Nam non tantum sub *Gallieno*, aliàs crudelissimo, pax reddita est, edicto etiam emisso Ecclesiis; sed etiam sub *Constantino* reducta est mulier illa Apocalyptica, quam *Nero* in solitudinem compulerat, quæque ibidem per tempus, tempora & dimidium temporis, seu *ducentos quadraginta quinque annos* dilituerat, in lucem aspectumque communem. Quin eidem opponi potest *Orosius Augustini discipulus*, cujus hæc sunt verba. *Lib. 2. cap. 3. Recolant sane mecum majorum suorum tempora bellis inquietissima, sceleribus execrabilia, dissensionibus fœda, miseriis continuatissima; quæ & merito possunt horrere quia fuere, & necessario debent rogare ne sint; eam sanè*

sanè negare solum Deum, qui & tunc occulta justitia permisit ut fierent, & nunc aperta misericordia præstat, ut non sint. Axioma verò illud non tantum falsum esse ratio habituum, & gratiæ divinæ, per incarnationem Christi anno mundi MMM.DCCCCXLVII. factam, effusio ostendit: sed & de motu violento intelligi debere, extra omnem dubitationis positum est aleam.

PROPOSITIO II.

Mundus ratione Cœli non labitur perpetuò in deterius.

SI talis in cœlum in deterius caderet lapsus, vel substantiam tangeret illius, vel motum, vel lucem, vel calorem, vel denique influxum. Atqui nihil horum. *Non substantiam*: Quamvis enim concedatur eandem cœli & Elementorum primam esse materiam, idque tum propter indistinctionem illarum ex carentia actus, tum propter illationem duarum materiarum præter necessitatem: tamen illa materia tali formæ est combinata, quæ totum illius appetitum implet, nec agens contrarium, unde corruptio oriri posset, agnoscit. Imò etsi corruptibilitas illi, (quod verius) ex Psalmo adscriberetur, & exinde propter stellarum novarum, in Cassiopea anno MDLXXII quę biennium stetit, MDC in pectore gallinæ quæ adhuc conspicitur, MDCIV quæ in orbe Saturni erat, apparentiam, generatio consequeretur; non magis tamen contra nostram sententiam id faciet, quam facit mixtorum ex Elementis corruptio. *Non motum*: Videmus enim, si vulgarem animus est sequi sententiam, non tantum primum mobile

bile quasi æternæ legis imperio ab ortu in occasum procedere; sed & planetas, secundum definita ab Antiquis tempora currere, cumque per certa annorum spacia orbes suos explicuerint, iterum sine dubio ibunt per quæ venerant. Lucretius.

Non sol rutilo conexus igne
Gelidum Thabes impedit axem,
Nec quæ summo vertice mundi
Flectit rapidos ursa meatus,
Vnquam occiduo lota profundo
Cætera cernens sydera mergi,
Cupit oceano tingere flammas.
Semper vicibus temporis æquis
Vesper seras nunciat umbras,
Revehitque diem Lucifer almum.

De Saturni sydere tam bene nunc id dici potest, quàm verè olim à *Cicerone l.5. de Natura Deor.* scriptum. *Saturni stella in suo cursu multa mirabiliter efficiens; tum antecedendo, tum retardando, tum vespertinus temporibus deliteſcendo, tum matutinus rursum se aperiendo; nihil tamen immutat sempiternis seculorum statibus, quin eandem iisdem efficiat.* Et si mutari Syderum affirmaremus motum, quomodo quæso annus, mensis, dies, hora, punctum etiam ipsum oppositionum, conjunctionum & Ecclipsium in plures à Mathematicis prædici posset annos. Certe *Lactantius l.2. Inst. cap.5.* Deos non esse stellas ex eo concluſit, quod exorbitare illis à præstitutis itineribus non liceat. *Nam si Dii essent huc atque illuc passim sine ulla necessitate ferrentur, sicut animantes in terra, quorum quia liberæ sunt voluntates, huc atque illuc vagantur ut libet, & quocunque mens duxerit eo feruntur.* Plutarchus verò eandem uniformitatem admiratus, *Tanta*, inquit, *rerum magnitudo, tanta dispositio, tanta in servandis ordinibus*

dinibus temporibusque constantia, non potuit aut olim sine provido artifice oriri, aut constare tot seculis sine incola potente, aut in perpetuum gubernari sine perito & sciente rectore, quod ratio ipsa declarat. Quod si cœli immobilitatem, scripturæ & patrum sententiis conformem statuere velimus, & sydera motibus tantum propriis agi, nec secus in cœlo esse quam sint in terra animantes, pisces in aqua, in aëre volucres asseruerimus: eodem tamen res ipsa recidet. *Non lucem.* Nam quemadmodum primò aquæ dispersæ erant per faciem terræ; sic lux per firmamentum; & quemadmodum aquæ in unum cumulum erant collectæ; sic lux in uno vincta corpore; ut ille Mare dictus est; sic hoc Sol vocatum est. Vt itaque mari nihil deperit, quamvis innumeris terram aspergat fluviis: sic soli quamvis lucem suam communicet. Quod si verum est effossas esse Patavii urnulas duas in urna reconditas, Plutoni à Maximo Olybio dicatas, liquore quodam plenas, quo lucerna adhuc tum ardens per multa secula conservata fuit; si nec illud falsum quod de alia in sepulchro Tulliæ inventa scribitur; quid de luce cœlesti dubitamus? cum præsertim nec pater, ex sententia illorum qui animam ex traduce esse sentiunt, quicquam de anima sua cum animam filio communicat, deperdat, sed sit tanquam lumen de lumine. Quantum ad *Calorem*, non competit per se syderibus: datus tamen à Deo, ut eum in rebus caloris capabilibus efficere possent. Motu id non effici solis tempore Ioschuæ statio, regionisque secundæ aëris ad frigus declinans temperies aperit: sed luce, cujus radiisi directi fuerint, sat fortis est, si reflexi vehementior, ferè certissimum. Hoc enim aëris infimi hyberna & æstiva conditio, specolorumque tam

Archi-

Digitized by Google

Archimedis quam *Procli* effecta innuere videntur. Cum itaque lucem diminutam non esse ostendimus, quid de calore sentiendum sit quisque facile animadvertere potest. De influxu non est quod laboremus. Si enim ipsa substantia integra manet, quomodo istæ à forma operationes cessabunt? Alias de Thematum constitutione hic potest illud Langii *in Epist. Medicis.* adferri. *Quis in tam præcipiti syderum diurna & nocturna vertigine, cum minima momenta ingentes pariant mutationes, quæ vix cogitatione quisquam complecti possit! quis inquam exacte nativitatis thema constituere possit, non video.* Mihi placet † *Reginaldus* Polus, qui cuidam magnos ex themate natalitio sibi promittenti honores, respondit: *Quicquid prætenditur in me naturali generatione, alteratur & constringitur supernaturali in sanguine redemptoris facta regeneratione.* At dices in contrarium; Zonam torridam antea fuisse inhabitabilem, solem nunc propiorem terræ, nec tam versus alterutrum polorum remotum, stellam denique polarem in cauda Cynosuræ polo viciniorem. Defecit itaque cœlum. Sic est. Multi nunc incolæ Zonæ torridæ, & innumerorum ex hac orbis parte in ea commercia. Refert *Bodinus lib. ult. Theat. Naturæ*, ex *Copernico*, *Rainoldo*, *Stadio*, & aliis, centum & triginta sex semidiametris terræ, seu viginti sex mille & sexcentis milliaribus solem terræ propiorem esse: & *Philippus Melanthon* ad cœlestium terrestriumque corporum tabescentem naturam id referendum putavit. Communis est modernorum Astronomorum sententia, non tam remotum esse nobis versus austrum hyeme solem, ac olim tempore *Ptolemæi* & *Hipparchi* erat, nec tam vicinum versus Boream æstate. *Ptolemæus* enim, circa annum

Christi

† Duket in Pole.

Digitized by Google

Christi CXL, maximam solis ab æquinoctiali versus alterutrum polorum declinationem 23. 51. 20. deprehendit. Et quia id observationibus *Hipparchi* qui centum triginta ante Christum annis vixit, & *Eratosthenis* qui eundem antecessit, conforme animadvertit, summam Solis declinationem immutabilem esse conclusit. Sed anno Christi DCCCXXX. Arabum doctissimi eandem in 23. 35. invenerunt, quibus & *Albategnius* qui anno DCCCLXXX floruit, subscribit: Anno autem MLXX *Arzachel* Æthiops Hispanus maximam declinationem 23. 33. 30. assecutus est, & ut differentias observationum salvaret, novam hypothesin invenit. Hunc tandem secutus, anno MDXX, *Copernicus* qui maximam solis mutationem esse mutabilem conclusit, nec tamen 23. 52. majorem, nec 23. 28. minorem, illiusque eam conditionem esse docuit, ut intra unum mille septingentorum & septuaginta annorum spacium, à priore ad posteriorem deveniat, & intra alterum totidem annorum interstitium, à posteriore ad priorem descendat. Ex hac itaque *Copernici* hypothesi sexaginta quinque circiter ante Christum annis, maxima solis declinatio erat 23. 52, à quo tempore retrò computando semper minor evasit, donec 1782 circiter ante Christum annis maxima declinatio esset 23. 28. à qua iterum retrò computando accrevit, donec 3499 ante Christum 23. 52. evasisset. Scribit denique *Molinæus* de stella polari in cauda Cynosuræ, eam tempore *Hipparchi* duodecim gradibus à polo mundi abfuisse, hodie vix quatuor; existimatque cum attigerit, (quod intra quingentos vel sexcentos annos fieri potest) periodum futuram, quam Deus naturæ præscripsit. Concedimus, inquam ego, omnia ista; sed quid exinde incommodi nostræ accidat causæ,

non

Digitized by Google

non video. Cum universalem ruinam adversus ducatur factio, dicat etiam necesse est, tum frigidas Zonas aucto frigore magis inhabitabiles reddi tas, tum vires humanas ita artatas, ut nulla sint ratione ferendo. Solis vicinitas aut malis fundatur principiis, aut incerta est, & variabilis ejusdem declinatio. Nam Ptolemæus circa annum Christi CXL distantiam illius à terra in mille ducentis decem semidiametris collocat; Albategnius circa annum DCCCLXXX in mille centum quadraginta sex; Copernicus circa annum MDXX. in mille centum septuaginta novem; Tycho Brahe circa annum MDC in mille centenis octoginta duobus constituunt; Lansbergius verò, Keplerus, & alii, ter mille semidiametris à terra distare arbitrantur. Sententiam istam tam absurdam existimat Scaliger *Exerc.99* ut in hæc verba prorumpat: *Quæ nonnulli præterea ausi sunt, solis corpus longe propius non esse, quàm quantum ab antiquis scriptum sit, ita ut in ipsa deferentis corpulentia locum mutasse videatur, vel ipsa scripta spongiis, vel ipsi authores scutricis sunt castigandi.* Quantum ad australem vel septentrionalem Solis viciniam, existimat Doctissimus *Bainbridgius Astronomiæ in alma Oxoniensi Professor*, declinationem solis esse ἀμετάβλητον, & differentiam aliquot minutorum quæ est inter nos & Ptolemæum ex errore ab Antiquis in observationibus admisso oriri potuisse. Unde sequetur nec remotiorem versus Austrum esse, nec versus septentrionem viciniorem. Sed quàmvis etiam mutabilitas concederetur; sequeretur tamen Solem ad sexaginta quinque ante Christum annis remotior versus Austrum fuit quàm nunc; sic annis illos antecedentibus non remotiorem fuisse. Immò cum maxima declinatio est in summo, Sol hyeme remotior versus Austrũ erit, vicinior æstate versus

septentrionem; cum in minimo, contrario modo se habebit. Denique si quid chinde ad aliquam mundi partem accedit, id commodo illorum qui versus ad meridiem habitant compensatur. Neque nihil pro universali mundi in deterius ruina colligitur. Sententia summi viri debili nititur fundamento. Nec enim potest stella unquam polum attingere, nec in eas angustias unquam deducetur, ut progredi nequeat. Post elapsos quinquaginta annos proximitatem futuram libenter concedimus, sed & iterum regressuram, ut septentrionalis maxime fiat, prout nunc australis est, verisimilius esse videtur. Et si aliud sim fixarum stellarum accessum ad polum, recessumque ab eodem periodum naturae non designat, quae ratio istam designare haud debet.

ARTICVLVS III.

Mundus ratione Elementorum non ruit in deterius.

CVm Elementa vel in genere vel in specie considerari possint, ut exactius articulus iste demonstretur, quatuor articuli huc pertinere videntur.

I. *Mundum ratione Elementorum in genere non ruere in deterius.*

II. *Non ratione [illegible].*

III. *Non ratione Aquae.*

IV. *Non ratione Terrae.* Haec itaque ordine ostendemus.

Articulus I. *Elementa in genere non ruunt in deterius.*

NAm si Elementa in genere considerata universaliter & perpetuo deficerent, deficerent vel ratione *numeri*, vel *qualitatum*, vel *proportionis*, vel *transmutationis*. At nullius horum. Quantũ ad *numerum*, quatuor esse communis fert sententia; sed ternarius verius definitur, ita ut ignis supremasit aëris regio purior, subtilior, calidior, exhalationibus expers. Cum enim nuspiam scriptura, præsertim in *Genesi*, ubi describuntur creata, ignis mentionem faciat, quorsum poneretur? olidum vero illud si igneum elementum tenuitate & subtilitate vel à cœlo, vel ab aëre supremo differret, nova, ratione ignis, oriretur stellarum refractio, & veri loci ignoratio, quod falsum. Quin natura in præcipuis ternarium observavit numerum. Nam, ut nil dicam, de supernaturali Trinitatis mysterio, in hominis sexu est trinitas, Mas, fœmina, & hermaphroditus: principia prima rerum naturalium sunt tria, Materia, forma, & privatio: sensibilia principia itidem tria, sal, sulphur, & Mercurius: partes principes in homine tres sunt: Spiritus triplices: animalis, vitalis, naturalis; uti tres eorum carnales seu vasa, nervus, arteria, & vena. Humores in sanguine tres, sicut in lacte: aëri respondet pars butyrosa lactis & biliosa sanguinis; aquæ serosa lactis & serosa sanguinis; terræ caseosa lactis, & bilis crassior sanguinis. Hunc vero numerum hodie reperiri nemo non novit. Ratione *Qualitatum* siccissima est adhuc hodie terra, frigidissima, gravissima. Aër calidissimus, humidissimus, levissimus. Aqua frigida & humida. Proportionem in-

ter Elementa decuplam constituit Aristoteles; at falsò. * Perimeter enim terræ exsurgit ad 5400 milliaria, adeoque diameter 1718, semidiameter 859, vel 860 capiuntur ob calculi commoditatem. Quin multa sunt terræ spacia aquis destituta, & ubi sunt maria, ibi semper terra subjacet; *Idem de aquis l. 1. cap. 5.* adeò ut maris profunditas, quæ ex peritissimorum nautarum observatione paucis locis ad octoginta vel centum passus accedit, rarius ad ducentos vel trecentos, rariſſimè ad quingentos, nusquam ferè locorum ad mille, hoc est quartam partem milliaris Germanici, cum terræ diametro seu profunditate collata, sit ut guttulæ sudoris altitudo comparata cum toto corpore. Experientia denique ostendit ex paucis aquæ guttis aërem fieri, qui multoties eas superet. Hanc proportionẽ & hodie inveniri quis ibit inficias! Transmutationem quod attinet; *Philo de Mundi incorruptibilitate. Egregia est in Elementis quaternarum virium compensatio, aqualibus justisque regulis ac terminis vices suas dispensantium. sicut enim anni circulus quaternis vicibus distinguitur, aliis partibus post alias succedentibus, & per ambitus eosdem usque recurrente tempore; pari modo & elementa mundi vicissim sibi succedentia mutuantur, & quod diceres incredibile, dum mori videntur, redduntur immortalia, iterum atque iterum metiendo idem stadium & sursum ac deorsum per eandem viam cursitando continuo. A terra enim acclivis via incipit, quæ liquescens in aquam mutatur, aqua porro evaporat in aërem, aër in ignem extenuatur, ac declivis altera deorsum tendit à capite, igne per extinctionem subsidente in aërem, aëre verò in aquam se densante, aquæ verò liquore in terram crassescente.* Verum quidem est non aliter misceri, ac insulani cum iis qui exercent commercia ibidem: tamen nec hoc negandum summo

* Bartbol. de Element. cap. 5.

Digitized by Google

mo id universi fieri commodo. Aqua enim pura inepta esset potui; terra non largiretur humorem frugibus : aër inspirationi nequicquam prodesset. Hinc Augustinus. *de genesi ad liter. lib. 7. cap. 2. Perhibetur in Olympi vertice aër esse tam tenuis, ut neque sustentare alites possit, neque ipsos qui fortè ascenderint homines, crassiorem auræ spiritu alere, sicut in isto aëre consueverunt.*

Articulus II. *Elementum aeris in nulla re defecit.*

SI aër in aliqua re defeciſſet, defeciſſet in ſua temperie. At ſi Hiſtoricis credimus, & major olim illius interdum ſiccitas, & major frigiditas, & peſtilentior infectio. Annales produnt anno MCCXXXIV hyemem aſperam adeò fuiſſe, ut in Adriatico mari inſtitores Venetiani, cum oneratis ſummariis per glaciem tranſirent. Simile *Zonaras* ſub *Conſtantino Copronymo* in freto Pontico & mari vicino accidiſſe refert. Tempore *Caroli Magni* fuit gelu magnum & amariſſimum quo Pelagus Ponti uſque ad centum milliaria in oriente in glaciem verſum eſt, habens cubitos à ſuperficie in profundum quinquaginta. Anno MCXXV erat tã valida hyems, ut in Brabantia anguillæ innumerabiles, propter glaciem è paludibus, quod mirũ dictu eſt, exeuntes (*Robertus de Monte*) in fœnilibus fugientes latitarint, atq; ibi præ nimietate frigoris computruerint. Vix tandem arbores fronduerunt menſe Majo. Vt verò ſiccitatẽ tangã, lego in *Livio l. 4. hiſt.* anno urbis trecenteſimo vigeſimo ſecundo, non cæleſtes modo defuiſſe aquas, ſed terram quoque ingenito humore egentem. vix ad perennes ſuffeciſſe amnes. Defectus alibi aquarũ circa torridos fontes rivoſque ſtragem ſiti pecorum

rum dediſſe. † Anno MCLIII, ſylvæ præ nimio accendebantur ardore, gleba pinguis arſit; nec ullâ extingui potuit pluviâ. Germanici Annales produnt, anno MCCXXVIII tantum fuiſſe æſtum, ut meſſis terminata fuerit (verbis eorum utor) ante feſtum Iohannis Baptiſtæ. *Anno* MCCCCLXXIII Bohemica ſylva octodecem ſeptimanis arſit. Danubius ita exaruit, ut multis in locis tranari potuerit. Idē de Tameſi fluvio ſub *Henrici* I. imperio ſcribitur. **At *anno* DCCCCXCIV, in fine menſis Iulii, lacus & undæ tam conſtrictæ erant glacie, ut** piſces omnes fuerint emortui & magna aquæ penuria. Adjici his poteſt quod *Tacitus Annal. lib.* 13. de Armenia refert, hyemem tam ſævam ibi fuiſſe, *ut obducta glacie niſi effoſſa humus locum tentoriis non præberet. Ambuſti multorum artus vi frigoris, & quidam inter excubias exanimati ſunt. Annotatuſque miles, qui faſcem lignorum geſtabat, ita prærigniſſe manus, ut oneri adhærentes truncis brachiis deciderent.* Peſtilentem aëris infectionem quod concernit, erat aliquando in Græcia notante *Thucydide* tanta, ut aves infectæ deciderent, & rapaces à cadaverum abſtinerent eſu. Sub *Vibio Gallo* & *Volutiano*, teſte *Pomponio Læto* & *Zonara*, duravit peſtilentia ſine intermiſſione per quindecem annos, & Alexandriæ ne unica domus libera fuit reliquieq; nō exceſſerunt numerum ſenū præteriti temporis. *Non alia*, inquit *Lipſ. l. 2. de Conſt. c. 22.* de illa, *unquam major lues mihi lecta ſpacio temporum ſive terrarum.* Sub *Iuſtiniano Conſtantinopoli* interdum decem millia moriebantur. In Numidia aliquando, referente *Oroſio l. 5. cap. 8.* octingenta millia. Tempore *Tetrarchæ Florentiæ* à Martio ad Iulium centum millia periere; imò tam valida Italiæ incubuit, ut ex mille hominibus vix decem ſupereſſent. * *Anno* MCCCXLVIII, Londini tot abſumſit

† Megerius. * Alſted. in Chro.

ſumſit intra duodecim menſium ſpacium, ut in uno cæmeterio quinquaginta millia fuerint ſepulta. Inter Ianuarium & Iulium mortua ſunt quinquaginta ſeptem millia trecenti ſeptuaginta quatuor. Quid de ſudore Anglico dicam, qui ter univerſam peragravit inſulam, anno MDLI ultima vice. Nec exiſtimandum luem Veneream majorum nunc eſſe quàm olim fuit virium. *Hic idem morbus* inquit *lib.* 2. *de morbis contagioſis Fracaſtorius, interibit & extinguetur, mox etiam & nepotibus noſtris rursus videndus renaſcetur, quemadmodum & præteritis ætatibus viſum à majoribus noſtris credendum eſt, de quo non pauca indicia etiamnum extant.* Quod verò nonnulli exiſtimant, ſcorbutum, quod nihil aliud eſt quàm cacexia corporis melancholica maligna, populis ſeptentrionalibus mariſque accolis endemia, ex obſtructione lienis à fece melancholica maligna & occulta quadam qualitate corrupta, cum attractricis & expultricis debilitate profecta, non ſine gravi reliquorum viſcerum alvinorum contaminatione, ex quibus conſequitur pruriginoſa gingivarum rubedo, flacciditas putrefactio & fœtor, dentium caſus, vel crurum debilitas, reſolutio, livores, validaque ex leviſſima cauſa fatigatio; Veteribus ignotum fuiſſe, falſiſſimum eſt. Nam eum *Hippocrates*, teſte *Langio. Ep.* 14. *l.* 2. tum ſub nomine Ilei ſeu volvuli hæmatitis, in *libro de internis affectibus* deſcribit, tum ſub magnis lienibus in eodem libro depingit, & *libro ſecundo prorrheticorum* confirmat. Scelotyrben Galenus in libro definitionum, *l.* 3. *de ſympt. cauſis cap.* 2. deſcribit, quod ſit *ſpecies paralyſis, qua correpti recte calle progredi non poſſunt, ſed modo à dextris in ſiniſtrum vacillant, ac ſiniſtrum pedem in dextrum circumferunt, & coguntur dextrum in ſiniſtrum, & in progreſſu attollere crus.* Quidam denique ex Galleno morphæ

Digitized by Google

nigræ, nomen imponere gestiunt. Attamen verum est ingentem & hocce decennio in Anglia, Italia, Gallia & aliis locis grassatam pestilentiam, sed quid hoc ad universalem aëris in pejus ruinam? Videntur hic subterranei ignis furores pertinere, quos rabidos planè præteritis seculis fuisse certissimum est. * Tito Vespasiano & Flavio Domitiano VII. Coss. arsit mons Vesuvius in Campania. Rupto primum vertice saxa ejaculatus est, post tantas flammas, ut duo oppida Herculaneum & Pompeji conflagrarent; tam densos fumos, ut lumen solis obscurarent; postremo tam densum efflavit cinerem, ut tanquam nix vicinam regionem tegeret, quem vis ventorum in Africam, Ægyptum, Syriam projeciisse dicitur. *Civitas Iulianum*, verba sunt prudentissimi Historicorum, * *socia nobis malo improviso afflicta est. Nam ignes terra editi, villas, arva, vicos passim corripiebant, ferebanturque in ipsa condita nuper Colonia mœnia, neque extingui poterant non si imbres caderent, non si fluvialibus aquis, aut quo alio humore uterentur; donec inopia remedii, & ira cladis, agrestes quidam eminus saxa jacere, dein residentibus flammis propius suggressi, ictu fustium, aliisque verberibus ut feras absterrebant; postremo tegmina corpore direpta injiciunt, quanto magis prophana & usu polluta, tanto magis oppressura ignes.* † Mirum & illud fuit, quod in regno Neapolitano propè Puteolos *anno* ~~M D~~ XXVIII. Septembris vigesima nona accidit. Mari ad ducentos passus recedente, mons secunda noctis hora ascendit, magno cum fremitu & igneorum lapidum vomitu, tantaque cinerum eructatione, ut non tantum ædes fere omnes obruerentur, sed & nobiles Tripergulæ thermæ. Incendia Ætnæ, & aliorum quorundam in India montium horrida, videantur

† Dion. Cass. in Histor. Plin. Iun. in Epist. ad Tacitum. * Tacit. l. 13. Annal. † Sandius in Iuner.

Digitized by Google

tur in mea *Thaumatographia Naturali*. Similia an vicinis temporibus acciderint, unuſquiſque expendat. Certè nec illud quod vel de monte Carbonum in Miſena regione, vel de Moderno in Italia apud *Agricolam* extat, nec hoc quod vel de Hecla apud *Bleſkanium* invenitur, vel de inſula S. Michaëlis una ex Azoribus nuper ſcriptum fuit, videtur comparari cum illis poſſe.

Artic. III. *Elementum aquæ in nulla re defecit.*

VIdemus quippe triplicem adhuc hodie æſtum, diurnum, menſtruum & annuum quem mari tribuit *Poſidonius*; eandem ejuſdem ſalſedinem guſtus oſtendit. Emittit de ſe fluvios; ſed eos iterum redeuntes excipit. Si aquæ ubi antehac nunquam viſæ ſunt, extiterunt; tum etiam è contra nonnullæ ubi fluxerunt, defecerunt. Conſtat anno MCCCCLX. inventam in Alpibus navim cum anchoris in cuniculo in quo metalla effodiebantur: & *Hieronymus in vita Hilarionis* ſcribit, poſt mortem ſuam, naves ad præcipita montium delatas pependiſſe. Quod

* *Si non perpetuæ ſedes fontibus ullæ*
Æterni aut manant curſus:

tamen magni fluvii *Indus*, & *Ganges*, *Danubius*, *Rhenus*, *Nilus*, nihil in ſuo variaverunt curſu, ut in Geographicis deſcriptionibus conſpicitur. Nili præcipuè conſtans per tot tempora curſus, unum ex mundi videtur eſſe miraculis. † Tam quippe exacti eſt temporis, ut ſi terra, quæ circa eum fumatur, & nec humectetur, nec deteratur, idem pondus ſemper retineat ad decimam ſeptimam Junii. Hac augetur incremento fluvii pondus, &

* Pontan. l. 48. Meteor. † Proſper Alpinus.

Digitized by Google

infallibile futuri ſtatus ſequentis diluvii indicium exhibet. Thermas quaſdam periiſſe certum eſt, ſed & quaſdam in deperditarum locum enatas haud dubium. De *Bathonienſibus* in Anglia veriſſimum illud *Nechami*.

Bathonia thermas vix præfero Virgilianas,
Confecto proſunt balnea noſtra ſeni.
Præſunt attritis, colliſis, invalidiſque,
Et quorum morbis frigida cauſa ſubeſt.

De ſpadanis Anglicis videatur *Spadocrene Edmundi Deani Medicina Doctoris*, Medicis Eboracenſib. dicata.

Artic. IV. *Elementum terræ in nulla re defecit.*

SI in aliqua re terra defeciſſet, defeciſſet vel in quantitate, vel in fertilitate. Nam Ætnam, Parnaſſum & Olympum montes minores indies præternavigantib. apparuiſſe tempore ſuo *Ælianus* edidit. Palæſtina verò quamvis exigua regio fuerit; tamen * & triginta idololatricis Regibus ſuffecit, & tantam Iſraëlitarum multitudinem aluit; ut in bello inter Iſraëlem & Iudam duodecim † centena millia convenirent, ne quicquã vel de ſacrificio in templi dedicatione facto, vel de illo quod in * Chronicis alibi invenitur, dicam. Non poteſt tamen collectio ulla ratione concedi. Quod enim de montibus dicitur, id de toto non oſtenditur, quod eaſdem nunc dimenſiones habet, quas antehac habuit. Scilicet fit id per pluvialem & maritimam aquam, quantumque decedit montibus, tantum accedit vallibus. Vnde *Anaxogoras* interrogatus, an montes Lampſacenos aliquando mare ſit obrecturum; imò

* 1. Chron. 13. 3. † 2. Chron. 7. 5. * 2. Chron. 17. 14. 2. Chron. 21. 5

Digitized by Google

imò respondit, nisi tempus defuerit. Quemadmodum nil mari decedit egressu fluviorum, quia redeunt iterum: sic terræ rebus quæ inde crescunt & nutriuntur, quia reverruntur in illam.

Quapropter meritò maternum nomen adepta est,
Cedit enim retrò de terra quod fuit ante
In terras, scribit Lucretius. *l.* 2.

Quod de *Palæstina* * traditur, videtur tum singulari divinæ benedictioni adscribi debere, tum promissioni ad anni septimi levamentum factæ. De eadem tamen ante trecentos annos sic *Breeardus.* †*Frumentum terrâ excultâ sine stercore & fimo mirabiliter crescit & multiplicatur. Agri sunt velut horti in quibus fenículum, salvia, ruta, rosa passim crescit. Denique ibi extant omnia mundi bona, & verè terra fluit rivis lactis & mellis.* Quamvis autem ponatur, amisisse aliquid de propria fertilitate: tamen è contrario, aliæ atque aliæ regiones ac loca novas vires ad fœcunditatem suscipiunt. Quin & singulari maledictione divina id accidere potuisse, & vitio incolarum, haud dubium videtur. **Rem rusticam pessimo cuique servorum velut carnificis noxæ loco damus, quam majorum nostrorum optimus quisque & optimè tractavit.* Antehac gaudebat terra *laureato vomere & triumphali aratore.* Idem itaque faciendum quod *Mises* fecit, si tantæ magnitudinis poma granata, quantæ ille Artaxerxi obtulit, habere voluerimus. His si adjecero majorem apud priscos famem viguisse, majoraque rerum pretia, non errabo. Ingens fuit fames anno MDCXXV. & MDCXXX. in Polonia, quæ alias *universa Europa* ferè granarium audit: Quatuor enim modii tritici, quorum alias trium flo-

* Deuter. 11. 12. Levit. 26. 3. Livit. 20. 21. † De terra sancta p. 2. c. 1. An major olim terræ fertilitas. * Columella de re rustica, Plin. l. 18. 3. Ælian. lib. 1. cap. 33.

Digitized by Google

renorum valor erat, ad octodecim florenorum pretium excesserant; at quid hoc ad præterita? Tempore * Valentini in Italia præ fame vendebant patres filios, ut discrimen mortis evaderent. Tempore † Honorii Romæ in foro clamabatur: *Pone pretium humanæ carni*. *Livius* scribit Romæ multos è plebe ne diutina fame cruciarentur, capitibus obvolutos in Tiberim se præcipitasse. * Idem anno Christi DXIV in Anglia, tempore Cissæ Australium Saxonum Regis, accidit. Quantum ad pretia, Varro *lib. 3. cap. 2.* scribit L. Axium Equitem Romanum noluisse dimittere par columbarum minoris quadringentis denariis. Et passerculi forsan minori nunc veniunt pretio quàm assario.

PROPOSITIO IV.

Mundus, ratione mixtorum tam inanimatorum quam animatorum irrationalium, non labitur in deterius.

MIxtum corpus in inanime & animatum dispescitur; sub illo Meteora & fossilia, sub hoc Plantæ, Animalia, & Homo continentur. Necessarium igitur esse videtur ut ad exactiorem articuli demonstrationem ista in specie demonstrentur. Sed quia homini, propter copiam materiæ peculiaris est destinata propositio, hic tres tantum articulos ponimus. I. *Ex meteoris mundi in deterius ruinam ostendi non posse.* II. *Fossilia non defecisse.* III. *Nec vel plantas, vel animalia, quicquam passa esse.*

Articu-

* Novel. tit. xi. apud Codic. Theodos. † Ios. l. 6. Annal. * Beda l. 4. c. 13.

Digitized by Google

Articulus I. *Ex Meteoris mundi in deterius ruina ostendi non potest.*

NAm nec illa quæ utilitati inserviunt defecere; nec quæ noxia sunt, vel magis nunc sunt tuta quam antehac, vel magis frequentiora. Æquè nunc pluvia & nix terram fœcundant, ros irrigat, ventus aërem ventilat, Meteora ignita purificant. Irides & alia an non æquè conspiciuntur? Quantum ad noxia. Anno N. Ch. DCXXXIV. exorto Iugurthino bello triduo lactis pluvia visa est, & tertio post anno quo prosperè contra Iugurtham dimicatum, bis lacte pluisse scribitur. Carnis pluviam vide in *Livio*. Narrat *Albertus lib. 3. Hist.* ex Avicenna massam ferri pondere centum librarum ex aëre decidisse, ex qua postea præstantissimi gladii facti. *Plutar. in Fab. Maximo.* Annibale cum exercitu in Italiam irruente lapidibus ignitis pluit. Tito Annio Milone causam Romæ dicente lateribus coctis, quod in ejus anni acta relatum est. Nil de hisce nostrum seculum. Verum est nubium casus in Silesia circa Goldbergam accidisse, sed an non major in Franconia anno MDLI. *Ingens multitudo,* inquit Bartolinus. *l. 2. de Meteor. cap. 2. hominum & pecorum decidentib. subito nubibus ac effusis confertim aquis, inauditâ tempestate submersa est, multarum urbium mœnia firmissima, vineæ, adificia splendida devastata funditus.* Quid de terræ motu, Cometis, ventis & fulminibus dicam. *Comes Northamptonia. in l. predict. veneri.* quatuor intra quadriennium apparuisse aliquando scribit; *Beda* & *Paulus Æmilius* intra dies quatuordecim tempore *Caroli Martelli* duos, unum oriente, alterum occidente Sole. * Tantus

* Seneca quæst. Natur. 2. lib. c. 15.

Digitized by Google

erat Attalo regnante, ut in immensum extensus, cœli plagam, cui lactea nomen est, æquaret. Tantum etiam * annus MDLVI. vidit, ut non modo exspirationes leviſſimæ & aridæ, ſed nec omnes quidem ſylvæ ac nemora, quotquot erant, ubique terrarum, pabulo bimeſtri quo luxit, ſufficere potuiſſent. An tale quid noſtro tempore? Mihi certè exemplum non occurrit, & quamvis occurreret; nil tamen exinde ad univerſalem mundi ruinam. Si enim abſumptis halitibus aërem turbaturis ſerenitas aëris ſequitur: ſi halitus aſcendentes, pinguedine benigniore conditi, fertilitatem, dum per agros ſpargunturs & roris inſtar eos irrigant, cauſare poſſunt: ſi non omnis materia deflagrans fœtidos poſt extinctionem halitus relinquit, poſſunt Cometas, aëris bona temperies, terræ fertilitas, & annonæ copia ſequi; & hoc bono mali compenſari prædictio. De terræ motu nil ferè hocce ſeculo audivimus, illum ſi excipias qui anno MDCXXVII. in Apulia ſeptemdecim hominũ millia abſorpſit †. Mirus & ille qui anno MDLXXI. Calend. Martii XII. in Herefordienſi, in Anglia, agro accidit. Tum enim veſperi, hora ſexta, terra in orientali illius comitatus parte deceſſit, monſque cum ſubjecta caute, (ingenti mugitu primum & ſtridore ut à vicinis exaudiretur) tanquam ſi ex diuturno ſomno conſurrexiſſet, ſe extulit, & in ſuperiorem locum relicto cubili profundo aſcendit, ſecum unà deferens arbores infixas, caulas, & ovium greges. Arborum quædam terra obrutæ jacuere, aliæ monti accedendo ita coaluere, ac ſi eo loco primum radices egiſſent. Quo loco diſceſſerat, hiatum quadraginta pedes latum, longum octoginta ulnas reliquit. Ager omnis viginti

* Bodin. l. 2. Thea. Naturæ. † Camanus.

Digitized by Google

ginti jugerum plus minus erat. Inter eundum sacellum obvium evertit. Taxum in cæmeterio sitam ab Occidente in Orientem transtulit. Eadem vi publicas vias cum caulis, sepibus, & arboribus insitis protrusit: Ita cum à vespere diei Saturni usque ad vesperam diei Lunæ obambulasset, fubstitit. Attamen olim & frequentiores & majores fuere. Principio anni quo *L. Cornelius* & *Q. Minucius* Consules fuerunt, tam crebros terræ motus fuisse tradit *Livius. lib.* 44. ut non tantum rei ipsius; sed & feriarum ob id indictarum tæderet homines. Idem narrat *l.* 45, duodequadraginta diebus terræmotum fuisse; biennii spacio duravisse, & repetitis redisse vicibus, testantur* alii. Sub *Tiberio* duodecim in *Asia* urbes corruere. Sub *Constantino* in *Campania* totidem. *Antiochia* tempore *Trajani* cum conterminis absorpta est. Diebus suis in famoso quodam terræ motu centum Lybiæ urbes corruisse scribit *Augustinus l.* 2. *de Miracul. S.S.* De terræ motu sui temporis sic *Æneas Sylvius* ad *Fridericum Imperatorem: Audies ex latore præsentium, quam mirabilia & incredibilia damna fecerit terramotus in regno Apulia. Nam multa oppida funditus corruerunt, alia magna ex parte collapsa sunt. Neapoli omnes fere Ecclesiæ, & maxima palatia cecidérunt, plusquam triginta millia ruinâ oppressa traduntur. Populus omnis habitat in tentoriis.* Idem de ventis & fulminibus dici potest. Divus *Paulus* in tempestate Solem & alia sydera per aliquot dies non vidit, Pugnam contrariorum ventorum, quæ nunc accidere non solet, *Virgilius* descripsit

Una Eurusque Notusque ruunt, creberque procellis
Africus, & vastos volvunt ad littora fluctus.

Quanta olim naufragia evenerint, vita *Solymanni*, & accessus *Caroli V.* ad *Algiram*, recessusque ab eadem

*Aristot. l. 2. Meteo. c. 8. Plin. l. 2. c. 81. Tacit. Annal. 2.

Digitized by Google

dem oſtendit. *Amiſit*, inquit Hiſtoria, *intra paucas horas centum quadraginta naves, quindecim gallione, exceptis viris & equis, & aliis quæ periere. Vidi ego*, verba ſunt *Bellarmini*, *quod niſi vidiſſem non crederem, à vehementiſsimo vento effoſſam ingentem terræ molem, eamque delatam ſuper pagum quendam, ut fovea altiſsima conſpiceretur, unde terra eruta fuerat, & pagus totus coopertus & quaſi ſepultus manſit, ad quem terra illa devenerat.* Cui hoc exemplum nimis recens videtur, huic ventus ille ſuccurrat, qui tempore *Guiljel. Ruffi* anno MXCVI. *Londini* ſexcentas domos abſtulit; ut de templi tecto cum lacunaribus ſublato taceam, ſex horum viginti ſeptem pedum longa, tanto cum impetu decidere, ut viginti trium pedum in terra profunditatem fecerint.

Articulus II. *Foſſilia non defecere.*

DE foſſilibus ſecundo loco propoſuimus agere. Hæc autem, ſi quæ alia, mundi in deterius, ſi vera eſſet, oſtendere poſſent ruinam. Nam avaritia hominum apud ipſos manes inſatiabiliter aurum quærit, & ſacra ejuſdem fames abſconditos in terræ ſinu theſauros, incoërcito expilat ſacrilegio. Sed tantum abeſt, ut hic aliquid ſententiæ adverſæ lucrentur patroni, ut etiam hæc ipſa corpora firmiſſimum ſint contra eoſdem argumentum. Terræ Armenæ & Lemniæ *Sileſiaca* acceſſit, illa etiam præſtantior. Inventor illius * *Iohannes Montanus Sileſius*, qui ſcriptum de illa edidit, *converſum eſſe aurum, Dei providaque naturæ ordinatione, in præeminentem præparatum medicinam tranſmutatumque peculiariter adverſus venena utilem, non minus quam medicamenta, quæ magnis ſumptibus*

ex-

* Sennert. Scient. Natur. l. 5. cap. 1.

Digitized by Google

ex auro Vngarico conficiuntur. Habetur etiam hodie. * *bolus Toccavienſis* in Vngaria, qui inſtar butyri contra Catarrhum valet, ita ut Armeno præponatus. Acceſſit & rubra terra propè *Bergas in Norvegia*, ſigillatæ cuidam non abſimilis, præſentaneum ſcorbuti Alexipharmacum. † II. Quin habere mineralia potentiam ſe multiplicandi extra omne ferè dubium eſt. Sulphuris vena quadriennio reparatur *. Terra detracta halonitro in cumulum redacta poſt quinque aut ſex annos nitrum reddit †. In India montem eſſe, Oromenum appellatū, ſalis nativi, in quo lapidinarum modo cædatur ſal renaſcens, refert *Caſalpinus, De Metal. l.* 1. *c.* 6. Idem de lapidibus dici poteſt, & inſigne notatu illud eſt, quod *Garziæ ab Horto. de ſimp. in India naſc. l.* 1. *c.* 47. de Adamante ſcribit, *Adamantes qui altiſſime in terræ viſceribus, multiſq; annis perfici debebant, in ſummo ferè ſolo generantur, & duorū aut trium annorū ſpacio perficiuntur. Nam ſi in ipſa fodina hoc anno ad cubita altitudinem fodias, Adamantes reperies. Poſt biennium rurſus illic excauato, ibidem invenies Adamantes.* Nec Metalla ſunt extra hanc prærogativam. Aurum enim Corbachiæ in VVeſtphalia creſcit, & recreſcit in cumulis ſingulis quadrienniis. Ferrum in Sileſia ad Saganum oppidum decimo renatum anno denuo effoditur. Idem de Ilva maxis Thyrreni inſula proditum eſt. Terram ibi inanem metalli, quæ eruitur, dum vena effoditur, totam procedente tempore in venam converti, teſtis eſt *Caſalpinus, L.* 3, *de Metallis cap.* 6. Denique certiſſimum eſt divites in quibuſdam regionib. metallicas nunc reperiri venas. Nil dicam de India occidentali, cujus divitias Hiſpanorum, Anglorum & Belgarum norunt theſauri. *Norvegia*

* Craco in Epiſt. † Petrejus diſſert. harm 38. *Fallop. de therm.
† Cardan. l. 5. de ſubtil.

Digitized by Google

fola id oſtendere, ſi *Bartoline*, *De Corporibus perfecte mixtu inanim.* viro optimæ fidei credendum eſt, poterit. *Hodie*, ait, *vix locus in aliqua terrarum orbe tam argenti ferax, atque montes aliqui in regno Norvegia detecti, anno* MDCXXIII. *ſub Dania & Norvegia Rege Chriſtiano IV. Domino meo clementiſſimo; ut ſi quis olim pollicitus ſit montes aureos, Norvegia non tantum argenteos polliceatur, ſed etiam præſtet: Magna enim fruſta eruuntur, qua puriſſimum & optimum argentum ſunt, ſine ulla ignis adminicula. Alibi eſt crudius: ubi tamen vix quinta, jam tertia vel quarta pars recrementi eſt loco.* Quid de ferri in *Suſſexia*, & ſtanni in *Cornvallia* venis dicemus.

Articulus III. *Nec planta, nec animalia quicquam paſſa ſunt.*

DE his non eſt quod multa dicamus. Si enim terra nec ratione ſuæ fertilitatis, nec ratione aliorum accidentium deficit, quomodo iſtæ deficient? Eadem nunc ſimplicium temperatura, eædem operationes, eadem animalium quæ apud *Ariſtotelem* deſcriptio. Vitam equorum ad decimum octavum, ad ſummum ad quinquageſimum annum extendit *Ariſtoteles*: at *Albertus* apud quendam militem ſexagenarium ſe vidiſſe aſſerit; *Niphus* in Ferdinandi I. ſtabulo ſeptuagenarium fuiſſe ait. *Buteo* etiam, vir multorum commendatus ſcriptis, volens oſtendere, per Geometricam proportionem, Arcam fuiſſe & tot beſtiarum, & annuæ proviſionis capacem, fundamentum demonſtrationis à præſenti corporum in beſtiis dimenſione & nutrimento ſufficienti, mutuatur. Subſcribunt illi *Goropius Becanus*, *Teverius*, *Rhalegus* & cæteri. Quod vero de Elephante in libro 1. *Maccabæorum c.* 6. 37. dicitur, id de indicis ſumendum eſſe *Iunius* oſtendit, qui majores

Digitized by Google

jores Æthiopicis: &, qui fuere in regno magni Mogul, affirmant, majores ibi his, quos hic videmus, esse. Ecclipsium in hæc inferiora influxus, earundem major frequentia, nil ad rem facere videtur. Nam primò cum Ecclipsis sit tantummodo interpositio vel Lunæ inter nos & Solem, vel umbræ terrenæ inter Solem & Lunam, haud minus incommodum ab aliqua crassa nube, quam Ecclipsi verendum nobis esset. Deinde *Seneca l. 5. de benef. c. 6. Ibit hic ordo per secula, qua præditos dies habent, quibus Sol intercursu Luna veretur omnes radios effundere.* Falsum præterea est, frequentiores nunc esse Ecclipses quam aliàs. Nam Solis, Lunæ, terræ eadem substantia, & eadem accidentia manserunt, eadem lucis umbrarumque nunc quæ quondam ratio, eadem insuper viæ Lunæ à Solis distantia. Videatur de his *Bartolin. Astrolog. problem. ultimo.* Falsum denique majores nunc temporis esse. Nam anno MCXXXIII, ut scribit *Camdenus, In Chronic. Regum Mannotum*, tanta fuit Ecclipsis Solis, ut dies in noctem verteretur. Anno MCXL, referente *Malmesburiensi, lib. 2. Histor. Novel.* tanta, ut homines antiquum chaos timerent, Anno MCCCCXV septima Iunii tam horrenda, ut aves in terram deciderent. Concludamus itaque nil esse in corporibus mixtis, quod universalem & perpetuum mundi in deterius lapsum innuere posset.

Digitized by Google

PROPOSITIO V.

Mundus ratione hominis non ruit in deterius.

HOmo compendium est totius universi, superiorum & inferiorum hymenæus, macrocosmi microcosmus. Quia verò non tantum corpore sed & anima rationali, inter quam & illud unio est, constat, ratio operis exigit, ut ratione omnium quædam in disquisitionem veniant. Præcipue autem hic occurrunt, Robur, Statura, Ætas, & Facultates animæ. Et certè adversa pars omnia ista in homine defeciſſe asserit. Itaque sub hac propositione hi exurgunt articuli. I. *Ætatem hominis intra istos ter mille annos non defeciſſe.* II. *Robur & staturam ne quicquam passa esse.* III. *Facultatibus animi nil plane deesse.*

Articulus I. *Ætas hominis intra istos ter mille annos non defecit.*

ÆTatem hominis ne à Mose quidem decreviſſe, multis demonstrari potest argumentis. Primò enim ipse Moses expresse. *Psalm.* 90. 11. 10. *In diebus ipsis annorum nostrorum sunt septuageni anni, aut (si simus valentiſſimi) octuageni anni*; & quamvis ille ipse cum Aarone fratre hos annos superarit: tamen quia de communi ratione, ut vir doctus ait, loquitur, huc pertinet. Inde & *Herodotus in Thalia*, spacium vivendi longiſſimum propositum esse scribit, annos octoginta. *Barzillai* dicitur fuiſſe senex valde; & tamen tantum octuagenarius. *David* satur dierum: tamen tantum septuaginta: 2. *Sam.* 19. 32. *Salomon* ex conjectura Theologorum,

Digitized by Google

gorum, non ſexaginta; tamen dicitur, cum eſſe
nex. In toto Catalogo Romanorum, Græcor
Gallorum, & Germanorũ Imperatorum; quat
ſolum ſunt inventi, qui octuageſimum attig
Inter Pontifices quinq;, illiq; horum immed
præteritorum temporum; nimirũ *Iohannes* XX
Gregorius XII & XIII. *Paulus* III & IV; & quoc
notabiliſſimum, *Elizabetha Angliæ Regina* om
anteceſſores à *Guiljelmo Conqueſtore* ſuperavit,
navitque annos Auguſti, vixit Davidis. *Petrus C*
tus de honeſt. diſcipl. refert Ægiptys ſubtili conje
ra expondere cordis deprompta inveniſſe,
bus terminis ætas hominis comprehenderetu
affirmaſſe, vix centum ſuperare annos. Nam ſir
lis ad quinquageſimum annis, duabus drach
augeri, ad centeſimum ab eo minui. Hoc quan
potius ſit curioſum quam verum: tamen oſten
quid de ultimo hominis termino antiqui ſer
rint. *Varro* etiam *l. 5 de lingua latina:* in hanc ſer
tiam. *Seculum centum annorum ſpaciũ vocarunt, d*
à ſene, quod longiſſimum ſpatium id putarint ſeneſce
rum hominum. Et Seneca de brevit. vitæ cap. 3. Pe
niſſe te ad ultimum ætatis humanæ videmus. Centeſi
tibi premitur annus. Tacebo de *Trebellio Polli*
qui *in libro ad Conſtantium*, centum viginti anno
Mathematicorum ſententia proveĉtiſſimis æt
attribuit. Præterea, ſecretas ſtationes, & prog
ſus naturæ in corpore humano, veteres bene
ſervarunt, non tantum ratione incrementi in u
ro materno, & ratione partus, ſed & poſt eun
Hippocrates aſſignat partui menſem ſeptimum,
num, decimum, undecimum interdum, octav
inter periculoſos ponit. Nonnulli dividunt æt
in tres, alii in quatuor, quidam in quinque, ſ
ſeptem partes, ſecundum rationem planetarũ. I
lo in opere de fabrica mundi, profert Solonis elegi

Digitized by Google

de ſeptenario, mutationes in corpore faciente:

Impubes pueri ſeptem volventibus annis
Claudunt enatis dentibus eloquium.
Poſt alios totidem Divorum numine dictos,
Occultum pubis naſcitur indicium.
Annus ter ſeptem prima lanugine malas
Veſtiet ætatis robore conſpicuus, &c.

Macrobius lib. 1. de ſom. Scip. cap. 6. clarè exponit mutationes uniuſcujuſque ſeptenarii in ætate humana. primo nempe dentes deponi, ſecundo pubem prorumpere, tertiò barbam, quarto periodum incremento imponi, quintum largiri robur, ſextum conſiſtentiam, ſeptimum declinationem. Idem nunc fieri doctiſſimorum docuere obſervationes. Et quamvis, quemadmodum in ſanitate gradus ſunt latitudinis, ſic & hic: tamen ſatis eſt, ſi modo ratione maximæ partis ſit infallibilitas, & uniformitas cæteris paribus. Exiſtimatur hodie, *trigeſimum quintum annum* eſſe florem ætatis humanæ, utpote medium inter ſeptuageſimum, Chriſti etiam emortualem; ad quem videtur *Apoſtolus* in *Epiſtola ad Epheſios* alludere. Idem apud veteres fuit. *Heraclitus* enim, *Plutarcho de Oracul. ceſſatione*, recenſente, trigeſimum in ætate hominis eſſe, affirmat. Idem de climactericis annis dici poteſt, de quibus *Gellius li. 15. Noct. c. 7. Obſervatum in multa hominum memoria, expertumque in ſenioribus pleriſque omnibus ſexageſimum tertium vitæ annum, cum periculo & clade aliqua venire, aut corporis morbique gravioris, aut vitæ interitus, aut animi ægritudinis.* Videatur de his *Baptiſta Codronchus* in ſpeciali tractatu *de anno climacterico.* Huc accedit generationis & matrimonii ætas, quæ eadem nunc, quæ fuit olim. Concilium *Carthagin. III* cap. 9 ordinavit, ut lectores Eccleſiarum, cum ad annos pubertatis devenerint, cogerentur uxores ducere,

vel

Digitized by Google

vel continentiam profiteri. *Quintilianus Proœm. l. 6.* uxorem ſuam relictis duobus filiis, nondum expleto ætatis anno undeviceſimo, mortuam ſcribit. Mulieres ſtatim ab anno decimo quarto, à viris Dominæ vocantur, inquit *Epictetus, Enchirid. c. 55.* Civiles leges * approbabant fœminarum matrimoniũ anno duodecimo. ſic † *Thalmud* Iudaicum; nec non Canones Eccleſiæ. *Heſiodus* decimo quinto. Sub *Tiberio* lege *Papia* prohibitum erat, ne ſexagenarii viri uxores ducerent, ne quinquagenariæ mulieres nuberent; id tamen antiquatum ſub *Iuſtiniano.* * Poteſt denique idem probari ex acceſſu ad officia Eccleſiaſtica, Militaria, & Civilia. Nam apud veteres, & tam citò admittebantur, & tam citò dimittebantur. *Parkerus in antiquit. Britannicis* ſcribit. *Is qui ad Epiſcopalem dignitatem promovendus eſt, annos natus eſſe debet non minus triginta.* At hoc tempore quinquagenarii ferè tantum admittuntur. *Venerabilis Beda*, qui ante octingentos annos vixit, decimo nono anno ad Diaconatum admiſſus eſt. *Origenes*, teſte *Euſebio*, decimo octavo anno Catechiſta factus. Levitæ poſt quinquageſimum annum eximebantur†. Quantum ad militaria, Galli præparabant filios ad bellum decimo quarto anno; *Cnejus Pompejus* decimo octavo, *Auguſtus* decimo nono Civile bellum ſuſtinuere. Romani decimo ſeptimo ad militiam cogebant. Vnde Gracchi lex, juniorẽ annis ſeptemdecim militem non legi. Attamen tempore belli Punici II, inquit Livius; *lib. 25. Tum decretum ut Tribuni plebis, ad populum ferrent, ut qui minores annis ſeptemdecem ſacramentum dixiſſent, iis perinde ſtipendia procederent, ac ſi ſeptemdecem annorũ aut majores milites facti eſſent.* Lex apud Athenienſes ad *annum quadrageſimum*

* Digeſt. lib. 9. de ſponſ. † Buxtorf. Synag. 3. * Lancel. lib. 2. t. 11. Sancimus 27. C. de Nuptiis. † Num. 8. 23.

Digitized by Google

drageſimum duntaxat jubet militare exorſos à decimo octavo. Teſtimonio *Polyhiſtoris, Cajetani, Pererii.* Simeon & Levi vix viginti annorum erant, cũ Sichemitas internecione delerent. Et quid de *Alexandro, C. Cæſare, Iuliano* &c. dicam? Civilia quod attinet. *Romulus,* ſcribente *Plutarcho* triginta & octo annos regnavit, quinquageſimo mortuus eſt. Ergo *duodecimo* ad regnum acceſſit. *Cicero,* teſte *Cornelio Nepote,* vigeſimo tertio pro Roſcio peroravit. *Euripides,* referente *Gellio,* natus annos duodeviginti tragœdias ſuas ſcripſit. *Auguſtus* decimo ſexto anno virilem togam, vigeſimo Conſulatũ, adeptus eſt (*Suetonius.*) *Joſephus* ſcribit ſe annos natum novemdecem ad Remp. aſpiraſſe. *Tertullianus denique* de *velandis virginibus* ait: *Tempus etiam Ethnici obſervant, ut ex lege naturæ jura ſuis ætatibus reddant.* Nã fœminas à duodecem annis, maſculos à duobus amplius ad negotia mittunt. Sed hic duo præcipue in contrariũ objiciuntur: * nimirum patriarchas antediluvianos diutiſſimè vixiſſe; & citius hoc tempore viros ducere uxores quàm olim. At hæc breviter reſpondebimus. Primum conceditur, & falſiſſimum illud dicimus, quod à quibuſdam audacter aſſeritur, *annos illos eſſe tantũ dierũ* XXXVI. Si enim id verum eſſet, ſequeretur Enochum & Cainum genuiſſe liberos ſexto aut ſeptimo anno ætatis ad ſummum. Nam illum dicit ſcriptura genuiſſe ſexageſimo quinto; iſtum ſeptuageſimo? Nec quiſquam patriarcharum illorum nonageſimum ſeptimum attigiſſet, cum multi hodie centeſimum ſuperent; falſumque eſſet, quod de *Abrahamo* ſcriptura *Geneſ.* 25. *v.* 7, 8. *Obiiſſe ſaturum dierum, & in canitie bona,* cum illi anni ſeptemdecem tantum annos cum dimidio ex computatione

*Patriarcharum antediluvianorum longæ vitæ unde? † An anni qui Patriarchis antediluvianis adſcribuntur ſint tantum triginta ſex dierum?

Digitized by Google

ne illorum faciant. Quamvis autem id verissimum esse concedamus; nil tamen exinde pro universali mundi decernitur ruina. Factum enim id videtur, *aut propter virtutes & glorioſas utilitates quas perſcrutabantur, id eſt Aſtrologiam & Geometriam: vel propter multiplicationem generis humani, Ioſeph. l. 1. Antiq. c. 4.* Vnde *Rabbi Leui*, citante *Genebrardo l. 1. Chronol.* longævitatem Patriarcharum *opus providentiæ non naturæ* appellat; aut propter alimentum. Hinc *Rogerius Bacon: Quum fuerint magna ſapientia præditi, excogitaverunt omne regimen ſanitatis & medicinas ſecretas, quibus ſenectus retardabatur, & quibus, cum venit, potuit mitigari; & filii eorum hoc regimen habebant, & experimenta contra ſenectutem. Nam Deus illuſtravit in omni ſapientia, & ergo diu vivere potuerunt.* Præterea. Habemus hoc conſtanti obſervatione, omnibus ferè temporibus in nationibus quibuſdam fuiſſe nonnullos, qui ordinarium annorum ætatis numerum exceſſerunt. † *Epimenides Cretenſis* vixit centum quinquaginta annos. *Gorgias Siculus* Rhetor centum & octo, *Hippocrates* centum & quatuor. *Terentia* uxor Ciceronis centum & tres. *Clodia* filia Oſilii centum & quindecem, quāvis in juventute quindecem liberos peperiſſet. Quid de *Luceja*, vel *Galeria Copiola* dicam? Illa annum centenarium haud parum ſuperavit; cum dicatur centum annis totis in ſcena mimam agens pronunciaſſe, puellæ fortaſſe primo partes ſuſcipiens, poſt anus decrepitæ. Iſta mima & ſaltatrix pro tirocinio ſuo producta eſt in ſcenā, quoto anno ætatis incertū, verū poſt annos nonaginta novē ab ea productione rurſus reducta eſt in ſcenā, non jā pro mima ſed pro miraculo, in dedicatione theatri à Pompejo Magno. Quin etiam in ludis votivis pro ſalute Divi Auguſti iterū monſtrata. In ſacra

† Verulam. in Hiſtor. vitæ & mortis.

Digitized by Google

cra Hiſtoria autem legimus, *Levin* vixiſſe centum triginta ſeptem annos; *Phineam* trecentos; *Iobum* poſt reſtitutionem centum quadraginta, quamvis ante lapſum nubiles filios & filias habuerit; *Annam* prophetiſſam centum & ſex; *Iohannem* Euangeliſtam totidem. Sed id præcipue tempora *Veſpaſiani Imperatoris*, quibus factus eſt cenſus, oſtendunt. Inventi enim tum in ea parte Italiæ, quæ inter Apennium & Padum jacet, homines qui *centeſimum annum aquarunt, & ſuperarunt centum viginti quatuor.* Nec hic vel viciniora tempora fallunt, *Iohannes* namque *de Temporib.* Caroli M. armiger, vixit trecentos ſexaginta annos. *Verſtiganus* ſcribit relatum fuiſſe nuper Segoviæ in Hiſpania mulierem quandam centum ſexaginta annis vixiſſe. *Franciſcus Alvarez* refert ſe vidiſſe Archiepiſcopum Æthiopiæ centum quinquaginta annorum. *Buchanianus* teſtatur quendam *Laurentium Orcadenſem* centeſimum quadrageſimum annum agentem, ſæviſſima hyeme in ſua navicula piſcatum ſolitum prodire, fuiſſe. *Ante paucos annos in agro Herefordienſi* (verba ſunt *Verulamii in Hiſtor. vitæ & mortis.*) *inter ludos floreales inſtituta erat chorea & ſaltatio ex viris octo, quorum ætas ſimul comparata, octingentos annos complebat; cum quod alteri ad centenarium deeſſet, ſupereſſet alteri.* Denique *Deſmondia Comitiſſa* vixit anno MDLXXXIX & poſt, nupſit temporibus *Edouardi* IV. *Verulamius* ter per vices dentiiſſe refert, & ætatis illius metam centeſimum quadrageſimum annum ponit: Cauſæ ex alimento deſumptæ poteſt addi, ratione noſtri temporis educatio mollis, matrimonium nimis tempeſtivum, & luxuries. *Multos morbos multa ſercula fecerunt*, inquit *Seneca epiſt. 95.* Et iterum. *Maximus ille Medicorum & hujus ſcientiæ conditor, feminis nec capillos deſinere dixit, nec pedes laborare: atqui ha*

jam

Digitized by Google

jam & capillis destituuntur & pedibus agra sunt : non mutata faminarum natura, sed vita est. Alterum illud quod de * matrimoniis nimis tempestivis adducitur falsum ferè est. Nam 1. In descensu Iacobi in Ægyptum numerantur inter filios Iudæ, *Er* & *Onan*, (qui mortui) *Schelah*, *Pharez* & *Serah*; & Pharezi *Hezron* & *Hamul*. At Iudas tum quadraginta quatuor annorum erat ad summum. Nam Iosephus erat triginta & novem. At iste natus est anno decimo quarto mansionis Mesopotamicæ exspirante, ille undecimo. Intra illud itaque tempus habuit Iuda filios, qui duxerant uxores *Er* & *Onan*, & ex eadem *Thamare*, *Pharezum*, qui duos habuit. II. *Benjamin* in eodem capite dicitur esse *pater decem filiorum*. At tum tantum *viginti trium* aut *quatuor* annorum erat. Natus centesimo sexto anno ætatis patris sui. *Dina* secundum *Polyhistorem* decimo anno rapta est. *Iosias* triginta novem annorum erat cum mortuus esset. At filius ejus *Eliakim* 2. *Reg.* 22. viginti quinque cum regnare cœpisset. *Ahaz* etiam tantum triginta sex annos vixit. At *Hezekiah* cum succederet viginti quinque: genuit ergo eum anno undecimo. Equidem quantum ad hoc exemplum *Iunius* & *Funccius* videntur hic contrarium sentire: sed *Hieronymus* in Epistola ad *Vitalem* ad Dei omnipotentiam recurrit. Neque enim valet natura contra naturæ Dominum.

Articulus. II. *Statura humana & robur intra hos ter mille annos non defecere.*

QVod de ætate diximus, idem de statura & robore dicere cogimur. Nec immerito. Nam I. Si robur & statura hominis universaliter & perpetuo deficeret, sequeretur Adamum fuisse omnium hominum

* An Matrimonia nunc magis tempestiva quàm olim?

Digitized by Google

minum maximum.* At id veritati consonum non videtur. Quod enim *Iohannes Lucidus l. 1. de Emend. tempor. c. 4.* id ex vulgari versione illius loci, *Nomen Hebron antea vocabatur Cariath Arbe. Adam maximus inter Anákim ibi situs est*, colligi posse dixit *l. de paradiso*, *Rabbinorum* fabulas redolet, qui dicunt divisum mari Paradisum, & Adamum expulsum tranare coactum fuisse. Locus ille ita verti debet: *Is fuerat homo inter Anakeos maximus.* Plerique etiam statuunt Adamum non Hebrone, sed ibi esse sepultum, ubi novus Adam pati debuit. *Nephilim* antediluvianos quod attinet, fuere viri, ut *interlinearis glossa* exponit, immanes corpore, superbi animo, viribus prævalidi, inconditis moribus: nec tamen aliena *Chrysostomi* sententia, qui dicit *Gigantes* à scriptura dici *Heroas, viros fortes & bellicosos.* II. Quamvis concederetur homines antediluvianos gigantum instar fuisse; nihil tamen inde contra sententiam nostram concludi potest, cum aliis etiam temporibus fuerint. *Nimrod* vocatur robustus venator coram Domino. Nomina *Rephaimorum*, *Zumzumaeorum*, *Emeorum* & *Anakeorum* eosdem significant. *Amos Propheta* inter Amorræos invenit quendam, cujus altitudinem cedris, robur jugis comparat. Quid de *Og Rege Bassanis*, cujus lectus cubitorum novem in longitudine, quatuor in latitudine, non secundum ipsiusmet mensuram; (ut Chaldæus *Paraphrastes & Complutensia volunt*) sic enim incerta esset mensura; sed secundum communis viri, ut *Tremellio*, *Iunio* & *Ariæ Montano* placet, sumendo, fuisse scribitur? Quid de *Samsone*, *Goliatho*, & illius fratre dicemus? Tempore *Augusti* Cæsaris fuit *Pusio* & *Secundilla*, qui novē pedes cum dimidio longi; & quorum corpora in hortis Sallustianis servabantur; tem-

* An Adam omnium hominum maximus?

Digitized by Google

tempore Claudii *Gabbara Arabs* qui novem; tempore Theodosii quidam in Syria quinque cubitorum. *Scaliger* Mediolani tantæ staturæ juvenem in Xenodochio vidit, ut stare non posset. *Goropius Becanus* mulierem sedecem pedes altam se vidisse ait. *Cassanion de Gigantib. c.* 6. quendam Burdigalensem tantæ staturæ fuisse refert, ut homo mediocris proceritatis erectus inter pedes ejus consistere potuerit. Regiæ Londini aulæ janitorem septem pedum & duorum digitorum in altitudine ipsi vidimus. In *China* stipatores Regii quindecem pedes æquant, & talium quingentos Rex habere dicitur. In Patagonum regione tredecem fere excedunt, in Sumatra duodecem pedum inveniuntur: III. Apud veteres cubitus, pes, digitus, spithama, erant mensuræ constantes & certæ, nec licebat in contractibus unicuique secundum suam mensu are. Id ex *amphora Capitolina, congio Romano*, & aliis patet. Illæ verò mensuræ sumebantur à viro mediocris staturæ. Sed quia humana corpora secundum climata & regiones sunt inæqualia, à quodam certo principio exorsi sunt, ex quo mensuræ reliquæ tanquam ex partibus certis constituerentur. Statuerunt ergo * Geometræ granum hordei transversum, id est secundum latitudinem positum, mensuram minimam. Vnde

Quatuor ex granis digitus formabitur unus,
Est quater in palmo digitus, quater in pede palmus, &c.

Cum itaque terra ratione fertilitatis non decreverit, & utamur granis in auro ponderando quemadmodum antiqui; optimi etiam Architecti observent *Vitruvii* mensuras, nihil potest excipi. Erit igitur media statura hoc tempore eadem quæ præterito. Fateor equidem & Ebræos pondera sacra seu sanctuarii habuisse, quæ excedebant

*, Gauricius.

Digitized by Google

debant ordinaria, & Græcos regios cubitos: tamen vulgaribus & ordinariis noſtros non exceſſiſſe affirmo. Nam & arca, ſi ſecundum communem menſuram menſurata fuerit, ad quingentos quadraginta cubitos aſcendet, amplitudiniſque ſufficientiam demonſtrabit; & *Agricola* libro *de menſuris* ſcribit, *Phyam* Piſiſtrati uxorem tam proceram habitam, ut tanquam Minervæ applaudereturcum tamen quatuor vulgares cubitos non exceſſerit: *Artaches* etiam primarius ex officiariis in Xerxis exercitu, altiſſimæ dicitur fuiſſe ſtaturæ: cum tamen tantum quatuor cubitorum regalium quatuor digitis demptis, fuerit. Quantum ad Romanam, ſcribit idem *Agricola*, Romanum pedem Gallico digitis duobus minorem, & hodie adhuc Romæ in marmoribus, in hortis præſertim *Angeli Colocci* vidēri: ſed *Goropius Becanus, in Gigantomachia*, menſuratos invenit breviores quatuor palmis: cum tamen ſtatura ejus fuerit mediocritate brevior. Denique *Nero*, teſte *Sueſonio*, novam legionem Italorum ſex pedum altorum conſcripſit, eamque Alexandri phalangem nominavit. IV. Menſuræ diætæ ceteris paribus pro proportione corporum hominibus adſcribitur; & apud veteres ſine dubio ex communi adſcripta conſuetudine. *Herculi* ingentis ſtaturæ vivo bovem *Homerus* prandii loco apponit: *Maximino* diætim interdum quadraginta, interdum ſexaginta carnis libras *Capitolinus* & *Cordus*: *Miloni* Crotoniatæ viginti libras & tres vini congios præbet *Athenæus* & *Theodorus Hieropolitanus*. *Maximiliani* I Imperatoris tempore fuit quidam Auguſtæ Vindelicorum, qui integrum vitulum etiam crudum devoravit; ut *Surius* teſtatur. Atqui tantū etiam alimenti apud antiquos adſcribebatur. Nā apud Græcos, referente *Suida in Polymnia*, chænix

Digitized by Google

nix diætim dabatur. Vnde *Homero trophidem Clearchus* nominávit. *Herodotus* idem in Xerxis obſervatum exercitu tradit. Et quantum ad Romanos, duæ tertiæ medimni ſiliginis unicuique peditи, ſcribente *Polybio*, per menſem dabantur, id eſt quatuor modii, cum medimnus ſex habeat. Hoc autem cum ſuperiore idem eſt. Nam quatuor modii triginta duos chænices continebant. Quod vero de Iſraelitis *Rabanus* ſcribit, tres chænices unicuique mannæ in deſerto aſſignatos fuiſſe; id ſingulari divinæ beneficentiæ, ut *Iunius* exponit, adſcribendum eſt. Equiti etiam apud Romanos duo medimni tribuebantur, eodem *Polybio* teſte, *Lib.* 6. ſed id ideo, quia ſervum unum atque alterum habebat, *Lipſius* author eſt, *lib.* 5. *de mil. Rom. c.* 6. Videm denique oſtendere poſſunt arma, januæ, ſepulchra, ſpondæ, &c. quæ omnia earundem apud antiquos dimenſionum erant. Spondas *Ariſtoteles* ſuo tempore ſex pedes non exceſſiſſe ſcribit, *Miſcell. cap.* 4. *Magius*, qui tractatum pro contraria ſententia ſcripſit, tombas Piſæ in Italia noſtrarum non excedere longitudinem refert, & addit, ſe Piſauri in armamentario Ducis Vrbini galeas in campis propè Metaurum, ubi Aſdrubal à Romanis victus eſt, effoſſas vidiſſe; *quæ tamen ab iis*, (verba illius ſunt) *quas modo milites noſtri geſtare ſolent, ad magnitudinem quod attinet non diſcrepabant.* In *Abbatia Malmesburienſis* templo vidit D. *Haukvvill* tombam quæ Athelſtani Regis eſſe dicitur, nihilo majorem noſtris, & in oſſario *Monaſterii Glaſtenburienſis* nullum os magnæ alicujus ſtaturæ index, invenire potuit. *Sandæus* in ſua peregrinatione ſcribit, in ingreſſu pyramidum tam humiles & arctos ſe inveniſſe ingreſſus: ut reclinatus ire cogeretur; & addit, in loco ſpacioſo de marmore Thebano conſtructo,

Digitized by Google

tombam ſeptem pedum in longitudine, vix quatuor in latitudine vidiſſe. Dicebatur autem fuiſſe corpus fundatoris *Charopis*. Nos ipſi Leydæ binas Mumias quæ ante Chriſtum conditæ, unam exiguæ, alteram majoris, ſed noſtram non excedentis ſtaturæ vidimus. Quæ interdum ingentis magnitudinis arma oſtenduntur, ut nobis in caſtello Comitis Fentoniæ in Scotia *Roberti Regis* gladius, ea vel ad timorem incutiendum, vel ad jactationem, quod factum Alexandri in India oſtendit, facta eſſe creduntur. Altare tamen tabernaculi quatuor cubitorum fuiſſe legitur *Exod.* 27. 1. Sed ſi illi cubiti ex ſtatura tum viventium ſumpti, & homines tum quatuor cubitorum erant, tum tantum unus cubitus ſacerdotis ſupra altare extabat, quod moleſtiam in adminiſtratione peperiſſe certum eſt. Altare Salomonis decem cubitorum fuit, ſed ab ipſa terra gradus appoſitos habebat. 2. *Chron.* 4. 1. Quamvis verò per eos Deus videatur prohibuiſſe aſcendere: *Exod.* 20. 26. tamen id tantum ita, ne nuditas detegeretur. Contra jam dicta quinque potiſſimum objiciuntur. I. Multoties ingentis ſtaturæ cadavera, & immenſæ magnitudinis oſſa inventa eſſe. II. Multa in ſacris literis de *Samſone* & aliis: de *Diomede*, *Ajace*, *Hectore*, *Hercule* apud Ethnicos ſcriptores multa. III. In majori olim propinata quantitate medicamenta, in majoreque ſanguinem portione emiſſum. IV. Inteſtinum duodenum ideo ab Herophilo dici, quoniam olim duodecim tranſverſos digitos longum erat, hodie vix quatuor æquare. V. Impuritatem denique in ſemine per propagationis ſucceſſionem contractam eſſe, & inde diminutionem in magnitudine & viribus neceſſario ſequi. Verum, quamvis ſplendida hæc eſſe videantur argumenta, tanti tamen momenti non

Digitized by Google

non ſunt, ut noſtræ ſententiæ ex iis deducatur falſitas. Quantum enim ad primum: Concedimus rem ſe ſic habere. Nam *Plutarchus, in vita Sertorii, ex Gabinio*, quem fabulis ſcatere *Strabo* ait, refert, in Lybia Antæi corpus ſexaginta cubitorum fuiſſe inventũ, *Fazellus* ſeptuaginta dicit. * Anno decimo quarto Imperatoris Henrici II. Pallantis corpus Romæ inventum eſt illibatum, ingenti ſtupore omnium quod tot ſecula incorruptionem ſui ſuperarit. Vulnus quod illi inflixerat Turnus quatuor pedum cum dimidio fuiſſe dicitur. *Herodotus* Corpus Oreſtis ſeptem cubitorum fuiſſe ſcribit, quem ideo fabulatorem appellat *Gellius*; Orionis quadraginta, Macroſyris centum. Vnum illius dentem centum uncias ponderaſſe addit *Boccacius*, ſcipionem verò mille quingentas libras. Nil dicam de dente illo quem vidit *Auguſtinus*, † qui ſi in particulas diſcuſſus fuiſſet, decem conſtituiſſet noſtrates: nec quicquam de *Chriſtophoro*, cujus dentem pugno majorem ſe vidiſſe *Ludovicus Vives* ſuper illum Auguſtini locum aſſerit. Concedimus, inquam, ita ſcribi; nec tam audacter pronunciamus ac *Becanus*, qui ait: *Non credam illud Orionis apud Plinium, licet L. Flaccus & Metellus, qui viſum iviſſe dicuntur, per capita ſua jurarent.* Agendum ita cum antiquitate quemadmodum à poſteritate nobiſcum agi volumus: quid tamen exinde contra nos? I. Apparet multa non benè intellecta, multa etiam hyperbolicè adjecta fuiſſe; cum præſertim ipſi veteres ſcriptores fidem dictis non adhibeant. Potuit olim in Indiis aliquis nummus inveniri, additum ſtatim Auguſti effigiem portaſſe. II. Poſſunt prodigioſæ iſtæ figuræ, vel artificialibus, vel ſupernaturali-

* Malmesbur. l. 2, c. 17. de geſtis Reg. Angl. † Aug. de civ. Dei l. 15. cap. 9.

Digitized by Google

bus, vel his & illis junctim adscribi. Poterant vel magni principes ex ambitione, vel periti artifices ex curiositate, vel infernales spiritus ex amore fraudis id feciſſe. Profecto inſana illa propè Amesburiam in Anglia ſubſtructio, quæ *Chorea Gigantum* veteribus dicitur, inde originem traxiſſe videtur. * Qualia corpora humanis oculis mille artifices interdum offerant, vel ex duplici puellarum abductarum, in quarum locum corpora alia ſubſtituta erant, hiſtoria colligi poteſt: III. Neſcio etiam an omnino impoſſibile ſit naturæ, talia in ipſis terræ penetralibus effingere corpora. † Multa enim in iiſdem quæ humana membra exprimebant, multa quæ animalia tota, inventa; extra omne dubium eſt. In diœceſi Trevirenſi. cum cæmenta pro reparandis ſtructuris eruerentur, nigricantes obvenere lapilli, muliebre referentes pudendum. * Diphyes genitale utriuſque ſexus diſtinguente linea oſtendit. Salfeldæ in Thuringia ex puteo viginti duas orgyas alto, effoſſus eſt lapis ſolidi pectoris ſpeciem præferens, longus ſeſquipedem, tres latus palmas; anteriori parte ubi coſtæ terminabantur, ſex craſſus digitos; poſteriori ubi vertebræ mediæ perforatæ, tres. Spina vacua ab eo erat, quod medullam exprimeret. Vidit etiam *Goropius Becanus* in Anglia lapidem è ſummis montibus exciſum, qui pectam ad vivum exprimebat, ne minima quidem lineola ad perfectionem deſiderata. Tacebo interim ſaxum propè Harlemum anno MDLXXXIII erutum, humanam manum cum unguibus & diſtinctiſſimis digitorum lineamentis referens, cujus picturam apud CL. *D. Baudarcium*, fautorem noſtrum Lugduni vidimus. Tacebo & illud

* Delrius in diſq. Magicis. † An prodigioſa, hominibuſque ſimilia corpora in terra à natura formari poſſint. * Agricola.

Digitized by Google

lud. Agricolæ, vidimus parvam viri ſtatuam, qui infantem humeris ſuis ſuſtinebat, ex argento à natura factam. Quod ſi hæc ratione formæ tantum extrinſecæ, materiæ alias adæquatæ, inductæ, intelligi debere videntur, ſuccurrat, quæſo, Caro foſſilis quæ quondam inventa fuiſſe dicitur, & de qua Thaumatographiæ claſſe quinta, ex *Libavio* nonnulla diximus. IV. Poteſt denique ex ſententia *D. Haukvvilli* tam vaſta corporum quantitas, congreſſui Diabolorum cum mulieribus adſcribi. Et certe, * *Creberrima fama eſt*, inquit Auguſtinus, *de Civit. Dei lib. 15. c. 23. multique ſe expertos, vel ab iis qui experti eſſent, de quorum fide dubitandum non eſt, audiſſe confirmant, Sylvanas & Faunos, quos vulgo Incubos vocant, improbos ſæpe extitiſſe mulieribus, ac earum appetiiſſe & peregiſſe concubitum, & quoſdam Dæmones, quos Duſios Galli nuncupant, hanc aſſidue immunditiem & tentare, & efficere plures taleſque aſſeverant, ut hoc negare magna impudentia videatur.* Quin *Toſtatus, in cap. 6. Geneſ. q. 6.* ex tam monſtroſis concubitibus robuſtiſſimos & proceriſſimos naſci, ſcribit; cui *Valeſius. ſacr. phil. c. 8.* & *Delrio, in diſq. Magicis*, accedunt. Nec dubium eſt, ſi tale quid accidit, tempore præſertim Ethniciſmi accidiſſe, quo maxime Diabolus regnabat; poſt Chriſti adventum non item. Ceſſaſſe enim oracula, & magnum Pana mortuum eſſe, non tantum *Plutarchus* in peculiari libello, ſed & Hiſtoria *Epiſarſis*, de mortis ejus circa Paxas annunciatione, indicat. In hac ſententia *D. Haukvvillus* acquieſcit. Sed ut vere & ingenue fatear, vix ei accedere audeo. Quamvis enim cõcederetur concubitum Dæmones cum mulieribus exercere; concipere tamen illas non ſequitur, idque propter ineptitudinem materiæ prolificæ. Spiritus,

* An mulieres ex Dæmonum congreſſu concipiant.

Digitized by Google

cum sint Dæmones, ex se habere nequeunt. Succubi itaque primo fiunt, & furantur, post incubi inficiunt. Et interea semen calore suo interno, spirituali utpote & dissipabili spoliatur. Vnde venefícæ quædam fassæ sunt, frigiditatem illius se sensisse. De cætero videtur id imperfectionis potius opus esse. Nam si tantus in gigantibus quantitatis excessus, ut impediantur actiones, monstrum aliquod dicendum. Et certe monstris annumerat *Bartholinus*, *Phys. gener. 6.* illum, cujus molarem dentem se vidisse narrat *Augustinus*. Interim liberum unicuique prout vult sentire: qui pœnitius in ista de Dæmonum cum mulieribus congressu sententia cupit instrui, *Ambrosium Pareum* & *Casparem Bauhinum* de hermaphroditis legat. Quantum ad secundam obiectionem, haud majoris & illa ponderis. Nam nec posteriora tempora illis cessere, nec moderna cedunt. Idem de C. Mario *Trebellius Pollio*, de Maximino *Capitolinus*, de Aureliano *Vopiscus*, de Scanderbego *Barletus*, de Galioto Bardesino nobili Catanensi *Fazellus*, de Tamerlanco, Ziska, &c. alii. *Georgius le Feur* scribit anno MDXXIX. vixisse Misniæ *Nicolaum Klunherum* Præpositum cathedralis Ecclesiæ, qui sine omni adjumento tonnam vini è cella extulit. * *Majolus* Astæ quendam in præsentia Marchionis Pescarensis, non aliter columnæ trium pedum in longitudine, unius in diametro, quam pila lusisse scribit. Idem Mantuanum quendam *Rodamantem* nomine, mediocris staturæ, funem crassitiem brachii virilis æquantem, non aliter disrupisse ac alias filum rumpi solet, affirmat. *Ernaudus Burg*, Hispanus, Comitis Foxii servus, asinum onustum lignis, humeris impositum, in cubiculum viginti quatuor gradibus à terra

* Canicul. Colloq. 4.

Digitized by Google

à terra elevatum, teste *Frossardo*, asportavit. *Lobelius* Polonus in descriptione eorum, quæ anno MDLXXXII. in circumcisione Mahumetis Amuratis filii acta sunt, narrat, quendam lignum tanti ponderis, quantum vix duodecem ferre potuissent, sustuliſſe, & lapidem quem decem vix sustuliſſent, pectori suo imposuiſſe. * *Fronsbergius* medio dextræ manus digito, robustissimum, quemque de suo loco dejicere poterat. *Potkowa* Cosacorum dux, authore *Leunclavio*, calcar ferreum non aliter ac papyrus discerpi solet, discerpsit. *Iohannes Romanus* in Anglia bovem portare potuit. Anno denique MDLXXV. occisus quidam prodigiosæ magnitudinis à *Iacobo Niazabilovio* Polono Scytha, † *Frons enim ejus viginti quatuor digitos lata erat, ac reliquum corpus tantæ magnitudinis, ut jacens humi cadaver umbilicum viri stantis attingeret.* Tertium concedi non potest. Nam I. expresse Goropius Becanus. * *Ferunt corpora æque nunc helleborum, atque olim eodem vel majori pondere, ut ipse in aliis sum expertus.* Idem & *Iacchinus* sentit. II. *Memini*, inquit Galenus, *C.14 de Curat. per vena sect. l. 9. c. 14. ad sex usque libras nonnullis sanguinem detractum fuisse, ita ut febris extingueretur.* At ab aliis minus detraxit. Vbi valida virtus subest, & ætas permittit, usque ad animi deliquium sanguinem mittere expedit. III. *Pareus* scribit, intra quatuor dies se cuidam septem libras sanguinis emisisse, & *D. Deodatus*, sexaginta tres uncias, ab homine septuaginta sex annorum, intra triduum excepisse affirmat. Quin *Schenchius*, *in Observationibus*, prodigiosas narium hæmorrhagias, in quibus interdum octodecem, interdum viginti, nonnunquam etiam quadra-

* Camer. in Medit. Historicis. † Tuan. l. 6. ex Leonhardo Gorecio. * An Medicamenta hoc tempore tanta dosi dari possint quanta olim?

Digitized by Google

ginta sanguinis libræ profluxere, profert. *Pasquier* denique in *Epistola ad Turnebum* observavit, frequentiorem nunc esse sanguinis missionem quã olim. Cum antiquitus venæ sectio ante decimum quartum annum facta periculosa fuerit, nunc in usu sit communi. * Intestinum dodecadactylon quod concernit, verum est *Archangelum Piscolominem, lib. 2. Lect. Anatom.* ex eo concludere, grandiores illis seculis fuisse homines, minores nostro; at quam vere ipse viderit. I. Certum equidem est, fieri Herophili à *Tertulliano* & *Plinio* mentionem; incertum tamen quo tempore vixerit. Quod si supponamus bis mille annis ab hinc vixisse, sequetur duas tertias de statura humana amissas, & si nunc quinque pedes alti sunt homines, tum quindecem fuisse. II. Si id nobis accidit ratione illorum temporum, accidit & illis ratione præteritorum. At mirum nec *Galenum* nec *Hippocratem* quicquam de iis. III. Videtur hanc Controversiam *Riolanus, lib. 2. anthrop. c. 12.* decidere dum scribit, *Nec mensuram antiquam decidet, nisi graciliorem & angustiorem ventriculi partem à fundo inferne exporrectam, usque ad anfractuum principium addideris, quam sæpe duodecim digitos æquare vidi.* Quod autem pylorus cum duodeno ab Antiquis sumptus fuerit, *Laurentius, lib. 6. c. 13.* & multi cum eo sentiunt. Ultimum etiam illud de impuritate seminis falsum est. † Nam I. videmus morbidos interdum parentes, robustos generare & sanos. II. Idem dici posset de animantibus: & periissent sine dubio jam homines, finisque controversiæ impositus fuisset. III. Multa sunt exempla earum quæ in μελυτευία excelluere. *Vives* de quodam rustico in Hispania refert; cujus

* An intestinum duodenum brevius sit nunc temporis quam olim.
† An semen prolificum nunc sit impurius quam olim.

Digitized by Google

cujus progenies pagum centum domorum ipso adhuc vivo compleverat. In templo Markschallis in Essexia visitur sepulchrum cujusdam *Mariæ VVaters*, quæ in decessu habebat legitimæ posteritatis *trecentos sexaginta septem liberos*: Sedecim suos proprios, centum quatuordecem suorum liberorum, ducentos viginti octo in tertio gradu. novem in quarto. Notum & illud

Mater ait natæ, dic nata filia, natam
Vt moneat natæ plangere filiolam.

Reliqua exempla omitto, & Robur & staturam intra hos aliquot mille annos non defeciisse, concludo.

Articulus III. *Facultatibus animi nihil planè deest.*

HActenus de illis quæ in corpore humano præcipue attenduntur, sequitur anima rationalis, cujus facultates an defecerint, tam in genere, quam in specie erit expendendum. Id autem præcipue tum ex actium, tum ex morum agnoscitur cursu, non omissis tamen quæ ad illa requiruntur, Memoria, judicio & imaginatione. Itaque huc pertinent ista membra. I. *Memoriam & judicium non defeciisse.* II. *Nec quicquam in tribus facultatibus.* III. *Nec in philosophia Theoretica.* IV. *Nec in Philosophia Practica & Historia.* V. *Nec in linguis & Artibus.* VI. *Nec in Mechanicis & Navigatione.* VII. *Nec in moribus.*

MEMBRVM I.

Memoria & judicium non defecere.

QVomodo enim defeciissent, cum paria imo majora stupendis veterum exemplis, posterioribus

Digitized by Google

bus imo noſtris temporibus acciderint? *Duo millia nominum recitata, quo ordine erant dicta, referebam;* (inquit *Seneca Rhetor*) *In proem. l. 1. controverſ. & ab his qui ad audiendum præceptorem noſtrum convenerant, ſingulos verſus à ſingulis datos, cum plures quam ducenti efficerentur, ab ultimo incipiens uſque ad primum recitabam*; at *Marcus Antonius Muretus L. 3. var. lect.* de quodam Corſicano juvene, jur. civ. ſtud. in Academia Patavina, refert, qui *triginta ſex millia nominum*, eo quo tradebantur ordine, abſque hæſitatione, repetere potuit. *Huic*, addit Muretus, *ne ex antiquitate quidem quem opponam habeo, niſi forte Cyrum, quem Plinius, Quintilianus, & Latini ſcriptores tradiderunt, tenuiſſe omnium militum nomina. Xenophon tantum officiariorum* meminit. *Æneas Sylvius* autem, *In Hiſt. Concil. Baſil.* teſtis eſt, *Ludovicum Pontanum Spalatenſem* Iuriſconſultum, non tantum *titulos legum*, ſed etiam *integrum corpus* recitaſſe, mortuum vero anno ætatis trigeſimo. *Famianus Strada* author eſt, *Lib. 1. Academ. prolaſ. Franciſcum Suarezium* celebrem illum Ieſuitam, tam firmæ fuiſſe memoriæ, ut ſancti Auguſtini ſcripta, verbis ipſiſſimis citatis, allegaverit, *Statim quo loco, quaque pagina*, (inquit) *diſſeruerit, ea ſuper re expedite docentem ac digito commonſtrantem ſæpe vidimus.* Plura & majora de *Iohanne Rainolde* Oxonienſis Academiæ Theologo dici poſſunt. Hunc enim in omnibus claſſicis authoribus verſatiſſimum ita fuiſſe affirmant, ut veriſſime viva Bibliotheca ſeu tertia univerſitas dici potuerit. *Gentilis* faſſus eſt eum meliorem legum notitiam habuiſſe, quam ſeipſum; cum tamen illarum profeſſor fuerit. Iudicii & aliarum facultatum vigorem ut comprobem, ſufficit, *Budæum, Toſtatum*, & *Scaligerum* adduxiſſe. Illo referente, *In 2. de C. D. c. 17. Ludovico Vive, Gallia acutiore ingenio*,

Digitized by Google

genie, acriore judicio, exactiore diligentia, majore eruditione, nullum unquam produxit; hac vero ætate ne Italia quidem. Et certe meliorem fere notitiam linguæ latinæ & græcæ, habuit quam vernaculæ. Vnde quæ in illis scripsit, extemporanea sunt. Si libros illius de asse inspicias, omnes evolviſſe philosophos (publicis etiam domi & foris occupatum) invenies. Id autem maxime mirum, quod *in se uno invenit* (verba sunt Vivis) *& doctorem & discipulum, & docendi viam rationemque, & cujus decimam partem alii sub magnis Magistris vix discunt, ipse id totum à se Magistro edoctus est.* * *Testatus* anno vigesimo secundo ætatis omnium fere artium & scientiarum habebat notitiam. Vnde de eo scriptum.

Hic stupor est mundi qui scibile discutit omne.

Et *Metamorus* de eodem. † *Si alio quam suo seculo vivere contigisset, neque Hipponi Augustinum, neque Stridoni Hieronymum, nec quemquam ex illu proceribus Ecclesiæ antiquis, nunc invideremus.* Per *Scaligerum, Iosephum* intelligo (quamvis & pater tantæ eruditionis fuerit, ut eum sanquam quartum, tribus, quos inter antiquos miratur *Lipsius*, annumeret,) cujus elogium in ore virorum doctorum (vibicem & maculam suæ gentis *Scoppium* si exceperis) versatur. *Nihil est*, (inquit *Casaubonus in præfat. oper. Scaligeri*) *quod discere quisquam vellet, quod ille docere non posset: nihil legerat (quid autem ille non legerat?) quod non statim meminisset, nihil tam obscurum aut abditum in ullo vetere scriptore, Græco, Latino, vel Hebræo, de quo interrogatus non statim responderit. Historias omnium populorum, omnium ætatum, successiones imperiorum, res Ecclesiæ veteris in numerato habebat: animalium, plantarum, metallorum, omniumque*

* Possev. in Appar. † Bell. de Eccles. scriptoribus. De Vniverſ. & doctis viris Hiſpan.

Digitized by Google

rerum naturalium proprietates, differentias, & appellationes, quas veteres, quas recentes tenebat; accurate locorum situs, provinciarum fines, & varias pro temporibus illarum divisiones callebat; nullam disciplinarum scientiam ullamve graviorum reliquerat intactam, linguas tam multas tam exacte sciebat, ut vel si hoc unum per totam vitæ spatium egisset, digna res miraculo potuerit videri. Idem de eo *Julius Cæsar Bulengerus* Sorbonæ Doctor & Professor Pisanus, quamvis paucioribus verbis, testatur: dum scribit, *lib.* 12. *Histor. sui temporis. Sequutus est annus millesimus sexcentesimus nonus, Iosephi Scaligeri morte feralis: quo nostra ætas neminem majori ad literas genio ingenioque tulit, & forte anteacta sæcula parem omni doctrinæ genere non habuerunt.* Addi his potest Adolescens * ille, qui anno MCCCCXLV. Lutetiæ fuit, & quamvis viginti tantum annorum fuerit, tamen in omnibus artibus & scientiis versatissimus, & ideo Antichristus à Diabolo genitus esse judicabatur. *Castellanus* quidem tum vixit, sic de illo:

I'ay veu par excellence
Vn jeune, de vingt ans,
Avoir toute science,
Et les degrez montans,
Soy se vantant sçavoir dire
Ce qu'onques fut escrit
Par seule fois le lire,
Comme un jeune Antichrist.

Sed & si rem totam accurate expendamus, vicinorumque temporum conditionem antiquis conferamus, inveniemus, nos & paria & majora etiam præstare posse. Multa enim habemus adjumenta quæ veteres non habuerunt; inter quæ *ars typographica* præstantissimum est. Hac quippe & precia librorum, quæ apud primores eo ascenderant

* Pasquier l. 5. c. 38.

Digitized by Google

detant, ut *Plato* pro *tribus libris triginta millia florenorum* dederit, levantur, & Antiquorum libri usui nostro conservantur. Hoc tantum requiritur, ut & minus temporis linguis impendatur, & controversiæ in religione minuantur, & par diligentia adhibeatur, & pares promotores habeantur. *Aristoteles octingenta* ab Alexandro *talenta* ad componendam Historiam naturalem accepit: Roscius Comœdus singulis diebus *trecentos florenos* salarii loco habuit. Æsopus Tragœdus filio *quindecem centena florenorum millia* reliquit. Improbus labor quantum possit, *Iosephi Scaligeri* exemplum documento esse potest. Hic enim intra *viginti & unius dierum spacium* edidicit totum Homerum, & *intra quatuor mensium* tempus quicquid de Poëtis Græcis restabat devoravit. Hinc Vives, *Vbicunque bona nascuntur ingenia, excolantur modo: alibi fortasse frequentiora, sed ubique nonnulla.* Et Quintilianus *Orat. 2. 5. Non nos tarditatis natura damnavit, sed ultra nobis quam oportebat indulsimus, ita non tam ingenio nos illi superarunt quam proposito.* Interim certum etiam est Circulum & in habitibus esse. Primo Ægyptii vigebant, post Græci, tandem in Latium spretis Academia migravit Athenis, & nunc in præcipuis Europæ partibus sunt viri doctissimi. Et ausim cum Ramo dicere: *Majorem doctorum hominum & operum proventum seculo uno vidimus, quam totis antea quatuordecem majores nostri viderunt. Ep. præf. Schol. Mathem.*

MEMBRVM II.

Nil in tribus facultatibus, Theologia, Iurisprudentia, & Medicina, deest.

DE Theologia evidens fere est, in majore nunc esse perfectione eandem. Nam I. Gentes vanis de-

Digitized by Google

de numero & natura Deorũ occupabantur disputationibus vani facti sunt in cogitationibus suis: nunc reconditissima mysteria scitu digna & necessaria melius mulierculæ intelligunt, quã summi olim philosophi: Illi semper * *adversus sua vitia facundi, nos non habitu sapientia, sed mente præferimus, non eloquimur magna sed vivimus.* II. Ecclesia Iudaica λόγια τῦ θεῦ sibi commissa habuit: at & illa mire *Thalmudistæ, Cabalistæ, Pharisæi, Essæi* &c. detorsere. μετεμψύχωσιν illos statuisse, non tantũ † Herodis & aliorum de Christo, tanquam vel Iohannis vel Eliæ anima induto, sententia; sed & Apostolorum cœtum concernens * quæstio ostendit. † Temporale vero regnum Christi in terris opinatos, illa post resurrectionem de regni Israëlitici instauratione demonstrat. III. Tres priores centuriæ laudantur à pietate & Martyrio, quarta à doctrina. Habuit enim illa ætas si unquam alia plurimos præstantes & illustres doctores. Vnde *Arnobius, Lactantius, Eusebius, Athanasius, Hilarius, Basilius, Nazianzenus, Ambrosius, Epiphanius, Theophilus, Hieronymus, Augustinus*, &c: tamen *Tertullianus, Origenes & Cyprianus* enormium errorum damnantur; & tum capitalis hæresis de Trinitate & incarnatione Christi ita floruit, ut illis temporibus * *ingeniosa res fuerit esse Christianum.* Quintum Chiliastarum opinio defendebatur, & illi filii Dei de quibus in *Genesi capite sexto* Angeli fuisse dicebantur. Vnde *Pererius* in locum. *Pudet dicere quæ de optimis scriptoribus hoc loco dicturus sum.* IV. Circa nonum seculum tam indocta erant tempora, ut, † qui philosophiæ operam navábat, vulgo Magus putaretur. *Genebrardus Chron. l. 4.* inquit, *Infelix hoc dicitur seculum, exhaustum hominibus doctrina & ingenio clarís, sine etiam claris Principibus atque Pontificibus.*

* Minut. in Octavio. † Mal. c. 13. 2.
* Iohan. 9. 2. † Act. 1, 6. * Erasmus. † Bellar. R. P. l. 4. c. 12.

Digitized by Google

bus. V. Quamprimum Theologia distinctionibus erat involuta, magnus verbi divini secutus est cõtemptus. Nam & *Albertus M.* Aristotelem jam pridem in limen Theologiæ à superioribus introductum, in intima & adyta sacrarii Ecclesiastici intromisit. Superiores patrum Ecclesiasticorum dicta duntaxat verbo divino æquabant: hic vero cum sequacibus suis illud exiguum reverentiæ erga Dei verbum sustulit, & Aristotelis scripta illi comparavit, quasi hæc demonstrationibus nitantur, illud vero probabili potius opinione teneatur. Hinc clariss. *Graserus l. 4. Mag. Exotica c. 14.* effusam tum tertiam Apocalypticam phialam existimat. Contemptui accessit summa linguarum ignorantia. *Græce nos suspectum fuerat, Hebraice ferè hæreticum.* Quarum linguarum *Remigius* ignarus in Commentario super illa verba 1. *Thess. 1. 8. à vobis diffamatus est sermo*; scribit aliquid impropriè prolatum à Paulo, pro, divulgatus est; nescius Paulum Græce scripsisse. In Germaniæ quadam parte, ut ex rescripto † *Zachariæ Papæ ad Bonifacium Germaniæ Episcopum* patet, baptizavit quidam hac forma. *Ego baptizo te in nomine Patria, & Filia, & Spiritus sancta.* Rex *Alfredus* in præfatione *Pastorali S. Gregorii* præfixa, nullum in australi Humbri parte sacerdotem suo tempore fuisse, scribit, qui officium sacrum latina lingua scriptum intelligeret, vel interpretari posset. Et *Clemangus de corrupto Eccl. statu c. 6. Non à studiis aut schola sed ab aratro etiam & servilibus artibus ad parochias regendas passim proficiscebantur; qui paulo plus latina lingua quã Arabica intelligerent, imo & qui nihil legere, & (quod referre pudet) Alpha vix nossent à Beta discernere, & si parum docti, negligentius sane morati, utpote qui absque literis in otio educati, nihil nisi impudicitias, ludos, commessationes, jurgia vaniloqua sectentur.* Placet hic

† 3. Part. decret. de consecr. dist. 4. Can. 42.

Digitized by Google

hic adjicere & exemplum *Du Prat* Episcopi & Cancellarii Galliæ; qui cum in literis ab Henrico VIII Angliæ Rege ad Franciscum I Galliarum Regem scriptis, ista verba, *Mitto tibi duodecem molossos*, offendisset, mulos per molossos intelligi existimavit; & post animadverso errore, molossos se pro *Muletis* accepisse, duplicata inscitia subjunxit. Omnes vero se excusabant illo S. Gregorii, *Non debent verba cœlestis oraculi subesse regulis Donati.* Plura de his qui voluerit, *Henricum Stephanum* in Apologia Herodoti revolvat. VII. Denique extra omne dubium esse videtur, à ducentis tantum annis reviviscere cœpisse linguam Ebraicam & Græcam, & quod *Augustinus* dicit, *ante exortum Pelagium securius locutos patres*, id de temporibus etiam *Lutherum* antecedentibus dici posse. De *Iuris Imperialis* peritia non est quod multa dicam. Qui comparaverit *Baldum*, *Bartholum*, *Iasonem*, *Accursium*, cum *Cuiacio*, *Alciato*, *Hottomanno*, *Duareno* Gallis, videbit & phrasin in his politiorem, & Methodum exactiorem, & sensum legis acriorem. Equidem *Cujacius*, testimonio *Thuani*, dixit, *Govianum ex omnibus juris Iustinianeo interpretibus quotquot sunt vel fuere unum esse, cui, si quaratur quis excellat, palma deferenda sit*: tamen Pithœus in Epitaphio ei erecto, eundem, *Romani juris à primis conditoribus interpretem primum & ultimum* vocat. *Massonius* vero sic de illo: *Iacobus Cuiacius juris Romani radices tanta cura effossas in lucem protulit, ut cæteri ante eum ignorasse illas, ipse solus post multos & quæsiviisse diligentius & penitius invenisse videatur.* Si vero de praxi inquirimus, ex decisionibus & judiciis quæ nunc extant, ut *Romæ*, *Neapoli*, *Florentiæ*, *Genuæ*, *Bononiæ*, *Mantuæ* *Perusii* in *Italia*, *Spiræ* in *Germania*, *Parisiis*, *Burdigalæ*, *Gratianopoli* in *Gallia*, cui ætati sit tribuenda palma intelligi facillime

Digitized by Google

cillime poteſt. *Medicinam* ſub *Hippocrate* excelluiſſe, ſub *Galeno* renatam quaſi eſſe agnoſcimus; ſed ad ſummum culmen hoc tempore perveniſſe, firmiſſimis argumentis demonſtrare facillimum eſt. Et certe I. † Anatomia ſeu artificioſa corporum ſectio vix nota fuit veteribus. Nam Ægyptii ſecabant & inungebant corpora ut à putredine conſervarent. Græci ea, teſtibus *Homero*, *Herodoto*, & *Thucydide*, cremabant. *Plutarchus* morem fuiſſe innuit, decem corporibus virilibus unum fœmineum comburere, utpote pinguioribus, nec quicquam in *Hippocrate* de iſtis. *Democritus* inventus ab eo diſcindens diverſa animalia, & de ratione rei interrogatus, reſpondit: *Hæc animalia quæ vides propterea ſeco, non Dei opera peroſus, ſed fellis biliſque naturam diſquirens*. Inter *Indæos* mos fuit malefactores aut comburere, aut lapidibus obruere; ſi ſuſpendebantur, ipſo illo die ſepeliebantur. Mortuorum corpora nefas erat tangere. Apud *Romanos* cremabantur quoque corpora. Locus vocabatur *Puticuli* aut *Culina*; vaſa in quibus cineres reponebantur, *Vrnæ*. Quamvis vero *Cicero* 2. *de legibus* ſcribat, Syllam primum è patritiis Corneliis igni voluiſſe cremari: tamen *Ovidius* 4. *de feſtis* canit de Remo, *Arſuraſque artus unxit*; & *Numa*, Pythagoreorum ſectæ addictus, vetuit ſuum corpus cremari. *Tullius* ipſe 2. *de legib.* ait, *leges duodecim tabularum habere, Hominem mortuum in urbe ne ſepelito, neve urito*. * Hæ autem trecenteſimo V. C. anno latæ erant. *Vigenerius* denique oſtendit ex Livii libro octavo, Manlii Conſulis filii corpus in campo crematum fuiſſe, idque factum anno V. C. CCCCXII. ante Syllæ mortem CCLXX † Iiſdem non licebat aſpicere humana exta. Antiquari hic mos

† An Anatomia nota fuerit Veteribus. * Gellius 24. 1.
† Plin. procem. lib. 28.

Digitized by Google

mos cœpit poſt *Antoninos*; *Macrobius* ſuo tempore deficere cœpiſſe ait: attamen quinquaginta poſt annis *Pertinacis & Severi* corpora exuſta ſunt, teſte *Dione* & *Herodiano*. Tum vero Galenus vixit; quem ſcribunt *plures ſimias & Cercopitheces* diſſecuiſſe, *humanum corpus* nonniſi forſan *unum*. Ipſe *Laurentius*, dum eum id ſæpius feciſſe affirmat, verisimile eſſe, feciſſe ſcribit. Quantum ad primitivam Eccleſiam, *Tertullianus*, *libro de anima*, Herophilum lanium potius quam Medicum vocat, *quod hominem odiſſet, ut noſſet*. & *Auguſtinus de civit. Dei* 22. *c.* 24. *Etſi Medicorum diligentia nonnulla crudelia, quæ Anatomicos appellant, laniavit corpora mortuorum*. *Bonifacius* excommunicationis crimen minatur illis, qui exenterant humana corpora, *quod non ſolum* ait, *divina majeſtatis conſpectui abominabile plurimum redditur, ſed etiam humana conſiderationis obtutibus occurrit, vehementius abhorrendum*. Noſtro igitur & patrum noſtrorum tempore iſta demum excoli cœpit ſcientia, & exculta eſt à *Veſalio*, qui ejuſdem Reſtaurator, *Varelio*, *Sylvio*, *Fallopio*, *Columbo*, *Riolano*, *Hier. Fabricio ab Aquapendente*, *Bauhino*, *Laurentio*, *Bartholino*, *Remmelino*, *Spigelio*, *Caſſerio*, & aliis. II. Botanica etſi nota fuerit *Theophraſto* primo, poſt *Plinio*, maximè *Dioſcoridi*: tamen præterito ſeculo, & hocce, ad majorem perfectionem perducta eſt. Id non tantum ex peregrinationibus *Rovillii*, *Leonhardi Fuchſii*, *Cluſii*, & *Americi* novi orbis detectione, navigationibus in utramque Indiam, quæ inter cætera quatuor præſtantiſſima ſudorifera, *Guaiacum*, *Chinam*, *Saſſafres*, & *Sarſaparillam* nobis advexere, intelligi poteſt: ſed & ex ſcriptis *Mathioli*, *Thurnheuſeri*, *Lobelii*, *Cluſii*, *Carrichteri*, &, qui, *quadraginta* annos in componendo ſuo Phytopinace conſumſit, *Bauhini*, animadvertitur. His annumero CL. *Dominum Adolphum Vorſtium*

Lugduno

Digitized by Google

Lugduno Batava Academia Botanicum præceptorem noſtrum, cujus peritiam ſæpè cum ſtupore admirati ſumus. III. Huc accedit Chymia, quæ quamvis veteribus aliquomodo fuerit cognita: (Nam & à Tubal Caino inventam eſſe veriſimiliter dici poſſe ſcribit *Sennertus de Conſenſu & diſſenſu Chym. & Galen.* & inter Ægyptios maxime verò Arabes floruiſſe, *Geber*, *Avicenna*, *Rhaſes*, &c. teſtantur) tamen poſterioribus his ſeculis à *Lullio*, *Rogerio*, *Baſilio Valentino*, maxime verò à *Paracelſo*, & ejus ſequacibus *Suchteno*, *Dorneo*, *Thurnheuſero*, *Severino*, & *Crollio*, nec non Chymiatris *Andernaco*, *Quercetano*, *Sennerto*, *Deodato*, exculta eſt, & in hoc perducta culmen. Vnde varia crevere Medicamenta, *Tinctura*, *Spiritus*, *Extracta*, *Salia*, *Magiſteria*, *Præcipitata*, *Vitra*, *Reguli*, *Flores*, *Jac*, *Saccara*, *gilla*, &c. Etſi autem fatendum ſit periculoſe quædam adhiberi; tamen nec hoc diffitendum, ab incauto tantum Medico uſurpata, ab indocto Chymico præparata. Alias extracta & tincturæ, generoſiora & fortiora ſunt, quam ſyrupi, decocta, vel infuſiones. *Sennert. in pharmacopæa.* Cum enim ab inutilibus alienis craſſis & terreſtribus ſeu, ut *Schegkius* loquitur, à ſuis tanquam excrementis & quiſquiliis quodammodo partes inutiles ſeparentur, efficaciora, gratiora & durabiliora eſſe nulla ratione negari poteſt. Huc pertinent, *Curationes magnetica*, *tranſplantationes morborum*, *curationes curtorum*, &c. De quibus pauca apud veteres, ſat multa apud *Paracelſum*, *Crollium*, *Burgravium*, *Taliacotium*, *Petræum* & alios. Recte itaque videtur *Quercetanus* dixiſſe. *Si Hippocrates vel Ariſtoteles, vel ipſe etiam Galenus nunc reviviſceret, obſtupeſceret certe tot ornamentis artem hanc adauctam atque illuſtratam, tot novis inventis ditatam, tot mirificis operationibus confirmatam.*

MEM-

Digitized by Google

MEMBRVM III.

Nil in Philosophia Theoretica deest.

QVod de facultatibus tribus diximus idem de philosophia affirmare audacter possumus. Cum autem philosophia vel sit Theoretica vel Practica, & illa, de qua hoc loco, *Metaphysicam, Physicam, & Mathematicam* sub se comprehendat, de singulis in particulari ostendendum erit. *Metaphysicam* quod spectat, eam post *Auenroem*, & scholastici veteres, *Thomas, Scotus*, & nuperi Hispani philosophi *Schanchiez, Suarez, Fonseca, Masius*, &c. excoluere, & inter alias nationes plurimi inveniuntur, *Sheiblerus*, nempe *Timplerus, Cornelius* & *Iacobus Marnii, Scharfius, Lippius, Iacchaus, Capsius* &c, qui partim exacta methodo illam inclusere-unt; partim præceptis exquisitissimis illustrarunt, partim disputationibus amplissimis exornarunt. *Keckermannus* si suam inchoatam absolvisset, nihil, multorum judicio esset, quod in opere absoluto & ad genuinum usum directo desiderare possemus. Interim & *Sagittarium* eximium Canonibus suis attulisse emolumentum, nemo credo diffitebitur. Specialis pars, quam alii *Pneumaticam* vocant, ex sacris literis illustrata & correcta est ita, ut priorum altaribus vere inscribi possit *Deo ignoto*. Doctrina de Angelis, quos corporeos multi ex veteribus Theologis opinabantur, egregie descripta est *Delrii* scripto de *Disquisitionibus Magicis, Peuceri, & Iul. Cæs. Bullengeri de divinatione* nullum ex Antiquis comparari posse, certissimum est. Physica longe nunc quam olim excellentior. Nam I. In Aristotele innumeræ speculationes de *Materia, Mundo, Cœlo*, & aliis, falsæ sunt.

Nos

Digitized by Google

Nos jam illas ab *Aslacho, Danao, Campanella, Verulamio, Bartholino, Nollio, Ruthardo* & plurimis aliis correctas habemus. *Drebbelius*, nescio an non Veteres scripto de Elementis vicerit. II. Historia Naturalis ante Plinii tempora demum oriri coepit; ætate ejus demum succrevit. At quia nec novus orbis tum apertus erat, nec tanta facta indagatio, non potuit id omne à Plinio sciri quod *Aldrovando, Gesnero, Agricola, Anatomicis* & aliis hactenus est notissimum. Lapidum naturam *Boëtius* accuratissime perscrutatus est. Magnetis miranda *Gilbertus* & *Cabaus*, Corallorum *Gansius* detexere III. Operationem præcipuum id esse ad quod rerum naturalium dirigi debet cognitio nemo inficias ibit. Is legitimus philosophiæ Naturalis filius, qui nova metalla producere, ventos multiplicare & intendere, thermas artificiales vitriolatas, sulphureas, aluminosas exstruere, artificiales nives, pluvias, grandines, pruinas &c. dimittere, novas plantas & animalia producere novit. At operativa physicæ pars in summis hactenus fuit tenebris. Nostro demum ævo manuductionem ad eam Illustris *Verulamius, Vice Comes Sancti Albani, Anglia Cancellarius*, in *Novo Organo, Sylva Sylvarum, Historia vitæ & mortis*, de *ventis*, aperuit; & qui aliquid insigne in ea dedere, vel præteriti, vel nostri fuere & sunt seculi, *Paracelsum, Kellejum, Setonum*, metalla alia in aurum transmutasse plenæ sunt Historiæ. *Iohannes Hunniades Vngarus* Chymicorum in Anglia antesignanus, amicus noster, metallum fusum vivificavit. Idem artificium illud de quo *Rogerius Bacon: Facilius est aurum facere, quam destruere*, quodque *Angelus de Sala, in sept. planetar. terrestrium recensione*, propter Mercurii auri fixitatem, maturitatem, & tam arctam cum reliquis ejusdem corporis substantiis conjunctionem, ut nullo modo retrogredi

gredi posſit, impossibile existimavit, exhibuit. Quid *Medicus* quidam *Polonus* circa plantarum resuscitationem fecerit, paucis ignotum esse autumo. Vide plura in *Rhodologia Rosenbergeri*. Hac denique hyeme novum & facillimum, salem ex aqua marina faciendi, modum, Anglus quidam invenisse dicitur. Mathematicam quod concernit, nullum dubium, Geographiæ notitia vinci à nobis veteres. Nam I *Strabo* sæpe redarguit *Eratosthenem, Hipparchum, Polybium*, & *Posidonium*. *Ptolemæus, Marinum Tyrium*. At & isti respectu *Mercatoris, Merulæ, Ortelii, Magini, Cluverii, Carpentarii*, sunt imperfecti. I I. Tempore Clementis V I Pontificis, teste *Roberto Avesburiensi*, cum Ludovicus Hispanus in Fortunatarum insularum electus esset Principem, & exercitum in Italia & Gallia colligeret, Angli quidam cum legato tum Romæ residente recesserunt, existimantes eum in Principem Angliæ tanquam unius ex Fortunatis insulis electũ. III. *Ephorus* quidam accuratus Græciæ scriptor, Hispaniam, quam Iberiam vocavit, civitatem aliquam ingentem esse existimavit. Nili etiam exortus antehac incognitus fuit. At hoc tempore deprehensa sunt. *Nili primordia prope Montes Lunæ, non procul à promontorio Bonæ spei*. I V. De Antipodibus sic olim Lactantius *divin. Instit. l. 3. c. 24. Quid illi qui esse contrarios vestigiis nostris Antipodas putant, num aliquid loquuntur? Aut est quisquam tam ineptus qui credat esse homines quorum vestigia sunt superiora, quam capita? aut ibi qua apud nos jacent inversa pendere? Fruges & arbores deorsum crescere, pluvias & nives & grandinem sursum versus cadere in terram*. Quin *Virgilius Episcopus Saltzburgensis* hæreseos à *Zacharia Pontifice* ob id damnatus est. Hodie tamen eos esse certo scimus. Haud aliud de Astronomia dicere possum. Nam I. Ephemerides *Ptolemæo* erant ignotæ,

Digitized by Google

ignotæ, à *Purbachio* primum in lucem productæ. II. Multa instrumenta his paucis decuriis annorum à *Tychone Brahæo*, *Galilæo Galilæi* & aliis inventa sunt, per quæ novæ stellæ detectæ, & viæ lactææ, quæ meteoron Aristoteli & Veteribus, ratio aperta est. III. Quadratura Circuli scibile fuit tempore Aristotelis non scitum. * Primum se *Scaliger* invenisse scribit. *Pancirollus* tamen, *annis ab hinc*, inquit, *plus minus triginta ars ista fuit inventa, qua mirabile quoddã secretum in se continet.* IV. Doctissimus denique *Briggius* Geometriæ in *Alma Oxoniensi* nuper *Professor*, hæc antiquis minus cognita esse scripsit:

† *Astronomia Copernicana, quæ docet Terram esse centrum orbis Lunaris, Solem verò esse solem reliquorum omnium planetarum: quod in Venere & Mercurio, cum sint in inferiori parte suorum Orbium, etiam oculis comprehendi potest, ope Tubi optici nuper inventi. Docet etiam per motum telluris diurnum, ortus & occasus omnium syderum; Et per motum ejusdem annuum in orbe suo magno, omnium planetarum motus & distantias, eorumque in cœlo progressus, stationes & regressus, multo facilius & accuratius indagare, quam per Ptolemæi aut antiqui cujusquam Epicyclos aut alias Hypotheses.*

Sydera quatuor Medicea (ita enim appellantur à *Galilæo Galilæi Florentino*, qui ea per tubum opticum primus invenit) *quæ circa Jovis stellam perpetuo circumaguntur, & cum in ejus umbram inciderint Eclipsin patiuntur, lucem radios solares intercipiente, eodem modo quo terra in Eclipsi lunari.*

Æquationum Algebraicarum omnium rerum valorem invenire, si is sit rationalis: sin minus, eum tamen proximè in numeris absolutis exprimere: idque non minus accurate, quam latus quodlibet numeri surdi vel lineæ cujusvis irrationalis longitudinem.

Data qualibet subtensa in circulo, invenire subtensam

* Necdum tamen vota. *Trientius*

† Quænam in Mathematicis Antiq. minus cognita fuerint?

Digitized by Google

trientis data peripheria: (quod Theon in Commentario in Ptolemæum arbitrabatur esse impossibile.) nec trientis modo sed omnino cujuscunque partis, imparis vel paris. Partis imparis invenitur ipsa subtensa: at partis paris non invenitur unica operatione ipsa subtensa, sed tantum subtensa ipsius quadratum: quo autem magis fuerit nomen partium, eo operosior fit subtensæ inventio.

Canones Rectarum peripheriam tangentium & secantium, nulli antiquorum cogniti: quos Erasmus Reinholdus primus condidit, & Canon Sinuum (multo commodior Canone subtensarum apud Ptolemæum) à Iohanne Regiomontano primo traditus, & postea à multis accuratissime supputatus.

Tota Logarithmorum doctrina à Iohanne Nepero Baronе Merchestonio Scoto primum inventa; de qua nullus Antiquorum vel per somnium unquam cogitavit. Qua plurima problemata Arithmetica, Geometrica, & Astronomica, minimo negotio expediuntur, quæ alias vel impossibilia censenda sunt, vel admodum difficilia; nec sine magna tædio & multi temporis jactura absolvenda. Aream Trianguli sphærici vel quantitatem anguli solidi invenire, primus docuit peritissimus Geometra Thomas Harriottus; cum ante eum nemo hoc sit assecutus. Hujus propositionis ignoratio Aristoteli imposuit, octavo cap. l. 3. de Cælo, opinanti locum solidum compleri posse à pyramide. Idem etiam contigit Petro Ramo 16 & 4 lib. Geometriæ, qui idem fieri posse contendit etiam ab octaedro.

Dorii vel segmenti sphæroidis mensuram invenire, per modum, qui Archimedeum (prop. 31 & 33 libri de Conoidibus) subtili & accurata veritate adæquare possit, facilitate vero longe superare.

Hactenus *Briggius*. Addi hic possunt illa, quæ ex inventione propria, Directorio suo Universali Cl. *Gulielmus Avianus* Gymnasii Thomani Lipsiæ Rector, amicus noster honorandus, inseruit.

MEM-

Digitized by Google

MEMBRVM IV.

Nil Philosophiæ practicæ & Historiæ deest.

IDem practicæ Philosophiæ fatum esse, extra omne est dubium. Si enim scripta in hac materia, *Lipsii, Gauzzi, Althusii, Thomæ Henrici, Timpleri, Keckermanni, Donaldsoni*, &c. qui *latinè: Verulamii, Montani, Reverendis. Halli, Robinsoni, Felthami, Gentii, VVrighti*, qui *Gallicè* & *Anglicè* scripserunt, revolverimus, iisdemque illa quæ à *Verulamio* in *augmentis scientiarum* traduntur adjecerimus, inveniemus, multis parasangis *Senecam, Epictetum, Plutarchum*, & alios veterum à tergo ab illis relinqui. * Quantum *ad artem militarem*, quæ pars Politicæ est, † victi ea à Romanis Græci, Romanus ab Anglis sub Eduardo III & Henrico V superatos, *Rhulegus* ostendisse dicitur: Belgæ an cedant, in dubio est. Iulio Cæsari *Hunniades, Scanderbegus, Ziska, Boleslaus Poloniæ, Henricus M. Galliæ Rex, Mauritius* & *Henricus Nassovii* &c. comparari possunt. Ille enim XLVII prælia secundo Marte confecit, nec nisi in bello Russico fuga cujusdam Palatini tandem inferiores tulit. De isto vero Alexandro M. comparato sic *Pythæus*:

Cui palma vestrum detulerat bellica
Certavit orbis, resque stetit anceps diu,
Sed mors secundum, Henrice, te livem dedit,
Fecitque primum & ultimum simul Ducem.

Fortificationis autem quis antiquorum melius novit quam Belgæ & Italî? Quis stratagemata nobiliora quam iidem in *Bredâ* & *Zutphaniâ*, Hispani

* Hist. p. 1. l. 5. c. 1. para. 1.

† An nostra tempora in arte militari cedant priscis.

Digitized by Google

in *Ambiani* interceptionibus, Angli in expugnatione fulminatoriæ classis, adhibuit. Et quantum ad navale bellum, non spretis aliis nationibus, cōfœderatis Belgis palma multorum judicio debetur. Peterent navibus cœlū si navibus peti posset. *Historia* triplex est, *Naturalis*, *Ecclesiastica*, *Civilis*. De illa jam diximus. Ista in Antiquis scriptoribus multis fabulis conspurcata est. Iam habemus *Baronii* & *Bzovii* opera, *Magdeburgensium* nuper revisas à *Lucio Centuriæ*, *Hospiniani* de *Templis*, *festis*, *Iesuitis*, *Monachis*, *Sacramentario bello* &c. laborē, *Foxi*, quod jam sub nova cura sudat *Martyrologium*; nec dubium est futuros qui accurate ista pertexent. Civilis à multis particularibus fuit olim exarata. *Tacitus* inter omnes maxime laudatur: tamen & istum *Lipsius* immemorem secumque pugnantē, *Tertullianus mendaciorum loquacissimum* appellat. Nec videntur illi cedere *Guicciardinus*, *Cominæus*, *Camdenus*, *Thuanus*, & alii, qui sine ira & affectu res sui temporis scripsere. Vitas doctorum optime descripsit *Melior Adamus*, ne cæteros qui in suis vernaculis scripsere, attingam. Alias si de universali Historia loquamur deduxit eam egregie *Iohannes Cluverius* Academiæ Soranæ in Dania Professor; vincere eum tamen in quibusdam videtur CL. *Conradus Graserus* præceptor noster observandus. Vt enim nil de Chronologia, Historiarum deductione & Prophetica Historiæ parte dicam, in exotica quatuor Monarchiarum ac concurrentium rerum acta, inde ab excidio templi Salomonici usque ad Ferdinandi I imperium, ad certa capita, secundum lineas in statua Danielis ductas, extra sacras literas ex prophanis scriptoribus depromptas, alligavit: Ecclesiasticam vero Historiam secundum triplicem Ecclesiæ periodum à Iohanne Theologo in Apocalypsi, sub *septem sigillis*, *tubis* & *phialis*

Digitized by Google

phialis revelatum, accuratiſſime deduxit. Qui iſtos duos tanquam Caſtorem & Pollucem conjunxerit, ei ſecuritatem in turbido alias Hiſtoriarum Oceano auſim ſpondere. Pertinet huc oculus Hiſtoriæ *Chronologia*, quæ an non auctior & politior nunc, quam olim, ſit, *Scaligeri*, *Pavelli*, *Helvici*, *Calviſii*, *Alſtedii*, & aliorum ſcripta evincunt. Anni computatio ſat diu incerta erat apud Græcos; & quamvis primo à *Metone*, *Calippo*, & *Hipparcho* inventa: tamen poſt à *Iulio Cæſare* emendata eſt; cujus quoque computationem correxiſſe dicitur *Livius*. Artem denique Hiſtoricam quod attinet, egregiam in illa operam navaverunt *Keckermannus*, *Alſtedius*, & quem gratitudinis ergo nomino CL. *Voſſius*, qui etiam duo incomparabilia volumina de *Hiſtoriis Græcis* & *Latinis* edidit.

MEMBRVM V.

Linguis & artibus nil deeſt.

DE linguis non eſt quod multa dicamus. Nota omnibus *Latina* peritia; *Græca* in propria regione rudis eſt & corrupta, in noſtro orbe apud plurimos florida. Inter primitivæ Eccleſiæ patres duo tantū, *Hieronymus* nempe & *Origenes* in linguis orientalibus verſati erant. At hocce ſeculo innumeri illius periti, inter quos *Buxtorfios*, *Amamam*, *Hieronymū Avianum*, L'*Empereur*, *de Dieu* tanquam anteſignanos colloco, inveniuntur. Chriſtiani vix aliquā Grammaticam Ebræam ante *Caprionem* videre, vix Chaldæam ante *Munſterum*, Syriacā ante *Tremellium* & *Maſium*; nunc non tantū Grammaticos eſſe, ſed & ſingularia artificia exhibuiſſe, *Cubus Hutteri*, quem Bibliis ſuis pręfixit, *Lonſoni*, quem in Bibliotheca Leydenſi ſuſpenſum vidimus, Clavis Græcæ linguæ *Lubini*, Ebraicæ *Mulſureri*,

Digitized by Google

Horologium *Schikhardi*, Circuli *Stephani Coleri*, Harmonia linguarum *Crucigeri*, Lexicon secundum nomina propria dispositum *Franci* demonstrabant. Idem de *Arabica* dici potest. Grammaticam enim ejus ante *Raphelengium*, *Baptistam*, & *Erpenium* nemo dedit, nunc peritissimi earum *Golius* Academiæ Leydensis Professor; *Bredardus* apud Cadomenses, Schickhardus apud Tubingenses, & alii reperiuntur. Ad Artes *Grammaticam*, *Logicam*, *Rhetoricam* & *Poeticam* refero. Prioris conditionem jam explicui; hoc tantum addo, insigne illud esse artificium quod *Patres Hiberni* in sua *Ianua linguarum* exhibuerant: sed mirabile illud quod *Iohannes Comenius* amicus noster in sua communicavit. Non tantum enim primitiva vocabula sententiose ei inclusit; sed etiam ita disposuit ut philosophiæ quasi Synopsis esse videatur. *Logica* insignis apud antiquos peritia; multa de illius præceptis arguta & subtilia Scholastici. nihil tamen & nos iisdem concedimus. Nam cum instrumenti vis in usu consistat, & regulæ Logicæ sint tanquam mensuræ rerum certæ & in indivisibili consistentes, minus illi ætati debetur, quæ nimiis disputationibus & usum negligit & præcepta in dubium vocat; plus ævo in quo & ista ad illum diriguntur, & ille sedulo & accurate inculcatur. At hoc vel solus *Keckermannus* præstitit. Opus ejus Logicum tanti fit, ut in *Academia Glascuensi* explicetur, in omnibus Euangelicis Hungariæ scholis proponatur, à Socinianis ipsis extollatur, omnium fere studiosorum manibus teratur. Vere de eo, (ut testimonium *Iohannis Valentini Andreæ* præteream) discipulus ejus genuinus *Alstedius*, *in Theatro Scholastico*.

Keckermanne, vir es, quoniam tria pectora gestas,
Rami & Aristotelis atque Melanchtonii.

Et

Es Ramus Methodo, es facilis brevitate Melanchton.
Magnus at ingenio, major Aristotele.

Addi & potest CL. *Burgersdicii* Lugdunensis Academiæ Philosophi *Logica*, in qua quosdam *Keckermanni* errores correxit; *Hunnii* & *Sagittarii* Axiomata, *Alstedii* & *Parei* Logici labores. Omnia hæc opuscula ita conscripta sunt, ut verum logicæ usum aperiant. *Rhetorica* & *Oratoria* floruere in *Græcia* sub *Demosthene* præsertim, in Latio sub *Ciceronе*, *Sallustio*, & aliis: sed & nunc magis, quam sub Monachis & scholasticis olim vigere, concedatur necesse est. Notum quid *Lipsius* de se vere, quamvis cum rubore scripserit; nec quisquam est, qui ignoret modernos Oratores, *Puteanum*, *Baudium*, *Heinsium*, *Vernulejum*, *Barclajum* &c. *Poësis* in *Homero* apud Græcos, in *Virgilio* apud Latinos excelluit. *Virgilius* inquit *Scaliger*, *lib. 5. Poet. t. 1. artem ab illo rudem acceptam, lectionis natura studiis atque judicio ad summum extulit fastigium perfectionis.* Et iterum *Equidem unum illum censeo sciviſſe, quid esset non ineptire, unum esse inter omnes unicum, singulis autem instar omnium.* De Comicis si res sit, *Plautus* apud plerosque est in admiratione, *Erasmus* plus esse exacti judicii in *una Comœdia Terentiana* censet, quam in *Plautinis omnibus*. Verum subsequentibus seculis in Cimmerias ferè devenit tenebras ars Poëtica, & scripta sunt carmina quæ & authoribus & tempori pudoris inurunt maculam. Regis *Ethelberti* Epitaphium hoc est:

Rex Ethelbertus hic conditur in poliandro
Fana pians certus, Christo meat absque meandro.

Gervasii Blesensis Abbatis VVestmonasterienſis istud.

De Regum genere pater hic Gervasius ecce,
Est & defunctus, mors rapit omne genus.

Digitized by Google

Venerabili Bedæ hoc positum :

Presbyter hic Beda requiescit carne sepultus.
Dona Christe animam in cælo gaudere per ævum.
Daque illi Sophiæ debriari fonte, cui jam
Suspiravit ovans intentus semper amore.

At nos præterito seculo duos habuimus, *Ronsardum* & *Buchananum* (ut nil de *Bartasio* qui Gallice, *Torquato Tasso* qui Italice, *Spencero* qui Anglice, *Kochanovio* qui Polonice, *Opitio* etiam nunc vivente qui Germanice, excellenter scripsere, dicam) qui *Homero* & *Virgilio* comparari possunt. De priore *Pasquier*.

Seu Tibi numeri Maroniani,
Seu placent Veneres Catulliana,
Sive tu lepidum velis Petrarcham,
Sive Pindaricos modos referre,
Ronsardus numeros Maronianos,
Ronsardus Veneres Catullianas,
Nec non Italicum refert Petrarcham,
Nec non Pindaricum refert leporem.
Quin & tam bene Pindarum æmulatur,
Quin & tam varie exprimit Petrarcham,
Atque Virgilium, & meum Catullum,
Hunc ipsum ut magis æmulentur illi.
Rursus tam graviter refert Maronem,
Vt nullus putet hunc Catullianum ;
Rursus tam lepide refert Catullum,
Vt nullus putet hunc Maronianum.
Et cum sit Maro totus & Catullus,
Totus Pindarus & Petrarcha totus :
Ronsardus tamen est sibi perennis.
Quod si nunc redivivus extet unus,
Catullus, Maro, Pindarus, Petrarcha,
Et quotquot veteres fuere vates,
Ronsardum nequeant simul referre,
Vnus qui reliquos refert Poëtas.

De

Digitized by Google

De *Buchanano* ita *Scaliger*.

Namque ad ſupremum perducta Poëtica culmen,
In Te ſtat, nec quo progrediatur habet.
Romani imperii fuit olim Scotia finis,
Romani Eloquii Scotia finis erit.

Habemus tamẽ & hodie haud paucos, quos inter laurigeros vere computare poteris. Inter Comicos non poſtremi ſunt *Vernulejus* & *Friſchlinus*. Inventionem Poeticam quod concernit, *Euphormio* & *Argenis Barclaii*, *Arcadia Sidnei*, *Vrania Montgomerii*, *Aſtrae*, *Guzmannus de Alfarache Alemanni*, neminĩ veterũ cedunt. Coronidis loco adjicio aliquid de Didactica, quã multi præcipue in linguis excoluere. Excellere tamen inter eos videtur *Petrus Glaumius*, qui Italicam linguã dimidio anni ſpacio in Academia Gieſſena ita docuit, ut diſcipuli eadem theſes de quadã materia ſcriptas accurate oppugnarint. Idem doctrinam de feudis ſpacio duarum ſeptimanarum, *Hallæ* Saxonum, diſcipulis principiis tantũ Logicæ inſtructis ita inſtillavit, ut & de eadẽ materia theſes conſcriberent, & eandẽ ſine præſide ad miraculum uſque defenderent. Hæc à CL. & mihi amiciſſimo Viro Domino *Sigiſmundo Evenio* accepi, qui tanquam Gymnaſii tum Rector, totũ illud negotium direxit, theſium etiam exemplaria aliquot, cum tabella, quam Glaumius præmiſerat, mecũ cõmunicavit. Paria ſe poſſe *Holſteinius* ejus diſcipulus ſcripto nuper profeſſus eſt.

MEMBRVM VI.

Mechanica artes, & navigandi peritia ſuccrevere.

AT forſan *mechanica artes* poſterioribus his temporibus aliquod paſſæ ſunt deliquium. Pictoria enim apud Romanos, cum in imperii culmine eſſent, excellebat. Vnde *Horatius*. *Ep.* 2. *l.* 2.

Digitized by Google

Venimus ad summum fortunæ, pingimus, atque
Psallimus, & luctamur Achivis doctius unctis.

Sculptoriam & fusoriam in summo apud Veteres fuisse fastigio vel ex marmoribus *Arundelianis* Londini in horto *Illustris Comitis Arundelii* erectis, ex Græcia & Italia allatis, apparet. Vidimus inter plurimas inscriptiones, urnas & statuas, statuam C. Marii VII Cons. Thesei, & Herculis adolescentis: Vidimus & Scipionis Africani, Senecæ, Socratis, Æsopi, &c. ad vivum sculptas & fusas facies. Inter omnes maximè laudatur εὐρυθμία statuæ Herculis & feminei cujusdam corporis; nec non caput Regis cujusdam Macedonici ex ære fusum, & in puteo *Smyrna* à *Pethao*, qui quinquennium istorum gratia ibi morabatur, inventum. Ad illam accuratissima sua opera sculptores Angli tanquam ad amussim exigunt: Hujus lineamenta excellentissimus quidam in arte fusoria, omnium calculo, artifex, satis se exprimere non posse fassus est. Pro ista etsi capite truncata, *Comes Pembrochiæ* tria millia florenorum, in cassum tamen, obtulit, prout nobis Vir humaniss. *D. Iunius Francisci filius*, qui hæc & alia monstrabat, retulit. Quantum denique ad Architecturam, laudatur summopere *Vitruvius*, nec ignotæ pyramides, & obelisci Veterum. Verum quamvis hæc se ita habeant: nihil tamen concludi potest, quod nostræ sententiæ aliquod præjudicium adferat. Nam pictoria post in declive abiit. Vnde Sylvius, *epist.* 119. *Videmus picturas ducentorum annorum nulla prorsus arte politas.* Et alibi *ducentorum trecentorumve annorum aut sculpturas intueberis aut picturas, invenies non hominum sed monstrorum portentorumque facies.* At paucis ab hinc decuriis annorum iterum enata est, & præcelluere in ea *Michaël Angelus*, & *Raphaël Vrbinas* inter Italos, *Durerus* inter Germanos, quē tan-

tantopere extollit *Erasmus*, ut arbitretur, *Apellem si tum vixisset, ut erat ingenuus & candidus, cessurum fuisse Alberto hujus palmæ gloriam.* Sculptoria & fusoria si non excellunt hisce temporibus, vix tamē antiquis cedunt, & habebit hic locum illud. *Est circulus quidam actionum humanarum.* in Architectura verum est laudari *Vitruvium*, sed id ratione regularum Architectonicarum intelligendum est. Alias de *Leone Baptista Alberti Florentino* scribit *Politianus, Eum ita perscrutatum antiquitatu vestigia fuisse, ut veterem Architectandi rationem & deprehenderit, & in exemplum revocaverit.* Idem alios fecisse ostēdere possunt magnificæ exstructiones, quæ circa Castella, monasteria, templa & alia visuntur, quorum plena sunt itinerariæ & Topographicæ Regionum descriptiones. Pyramides & obelisci, opera erant ostentationis tantum, non utilitatis gratia facta. Nec tamen ulli cedit obeliscus *à Sixto V.* anno MDLXXXVI erectus, centum septem pedū altitudine, pondere 956148 librarum. In ejus erectione ab initio Maji ad Septembris fere exitum, nongenti viri & septuaginta equi adhibiti, & 37975 coronati teste *Dominico Fontano*, impensi. Sed quamvis nil esset, quod in hoc puncto præteritorū temporum præ nostris inferioritatem ostenderet, ostendere tamen eam possent artificia quædam & inventa, quæ non multis ab hinc annis in orbis theatrum producta sunt; quorum præcipua, *Typographia, Bombardarum inventum, Pyxis nautica, & singularia quadam opera* censentur. De *Typographiæ* authore

* *Historici certant & adhuc sub judice lis est.*

† *Laurent. Iohan.* cognomento *Æditio* deberi, haud paucis argumentis demonstrasse videtur Scriverius. Et certe auctor Chronici Colonienſis vernaculi, anno MCCCCXCIX editi, primos typos in

* Quis sit inventor Typographiæ?

† edit. 1632. habet: Laurentio

Digitized by Google

Hollandia inventos fuisse, & Moguntinos ex Donato ibidem anno MCCCCL excuso, hac qua hodie utimur forma eosdem concinnasse scribit. *Mariangeli* vero *Accursii* verba sunt: * *Impressus est hic Donatus primum omnium anno* MCCCCL. *Admonitus certe fuit Iohannes Fausi civis Moguntinus, qui primus excogitavit artem typis æreis ex Donato in Hollandia prius impresso, in tabula incisa.* Pro *Guttenbergio* authoritates *Palmerii* in chronicis, *Guilandini, Vignerii, Bibliandri, Munsteri*, & aliorum militant. Controversia hæc si componi deberet, dici posset, *Harlemi* prima ejus rudimenta fuisse posita. *Guttenbergium*, cui adscribit *Polydorus Virgilius l. 2. c. 7.* melius ea excoluisse. *Faustum* primum eo quo apud nos viget modo, eandem exercuisse. *Petrus Ramus* officia Ciceronis typis excusa habuit, cum hac inscriptione: *Præsens Marci Tullii clarissimum opus Iohannes Fust Moguntinus civis, non atramento, plumali canna, neque area, sed arte quadam perpulchra, manu Petri de Gernesheim pueri mei fœliciter effeci. Finitum anno* MCCCCLXVI *die* IV *mensis Februarii.* Quicquid verò sit, Germania tamen nunquam sibi hanc laudem extorqueri patietur. *Beroaldus*:

O Germania muneris repertrix,
Quo nihil utilius dedit vetustas,
Libros scribere qua doces premendo.

De Chinensibus quod affirmatur, quamvis verum esset, fateri tamen quisque debebit, omnia minus fuisse exculta, nitida, subtilia, elimata, nec tam spectabili literarum varietate exornata atq; expolita, ut ait *Lemnius, lib. 3. de occult. Naturæ mirac. c. 4.* Plura eum dicturum fuisse si Belgarum, Italorum & aliorum hodiernos typos suis libasset oculis nullus dubito. Vtilitas hujus inventi quanta sit,

* Cap. 26. de papyro in Bibliotheca de communicatione linguar. & de Typis, in Cosmographia.

Digitized by Google

ta sit, unusquisq; facile colligere poterit. *Polydorus Virgilius, de invent. Rer. l. 2. c. 7.* sermoni de Bibliothecis veterū hoc subjungit. *Fuit illud omnino magnum mortalibus munus, sed nequaquam conferendum cū hoc, quod nostro tempore adepti sumus, repetto novo scribendi genere. Tantum enim uno die ab uno homine literarum imprimitur, quantum vix toto anno à pluribus scribi posset.* Hoc notum est omnibus, viliores, cōmuniores, & correctiores nunc apud nos esse libros, quam apud veteres fuere. Nam ut precium, quod alibi tetigi, prætream, unum illud & vere dicam & audacter, (verba sunt Erasmi) *minoris arbitror Hieronymo suos constitisse libros conditos, quam nobis restitutos.* Et in præfatione ad opera Augustini. *Vix in alterius tam impie, quam in hujus sacri Doctoris voluminibus lusit otiosorum temeritas.* † Machinæ bellicæ anno demum MCCCLXXX, ut *Magio* placet, aut MCCCC ut *Rambo*, à quodam *Bertholdo Schwartz* Colonienſi Monacho, vel ut *Salmuth* scribit, à *Constantino Anklitzen* Friburgensi inventæ sunt. * Primus illarum usum in Venetorum contra Genuates bello fuisse, ex *Platina* in vita Vrbani IV colligitur. Quod autem illud nonnulli *Indo*, quidam *Salmoneo*, nonnulli *Archimedi* adscribunt, veritati non videtur consentaneum. Equidem de Salmoneo Virgilius. *Aeneid. lib. 5.*

Vidi & crudeles dantem Salmonea pœnas,
Dum flammas Iovis & sonitus imitatur Olympi.
Quatuor hic invectus equis, ac lampada quassans,
Per Grajum populos mediaque per Elidis urbem,
Ibat ovans, Divumque sibi poscebat honores;
Demens, qui nimbos, & non imitabile fulmen,
Aere & cornipedum cursu simulabat equorum.

At terriculamenta tantum hæc fuisse, strepitu metum incutientia, videntur. De *Archimede* aliquid vel *Plutarchus*, vel *Livius*, vel *Aegidius Romanus*,

† An machinæ bellicæ priscis notæ. * Nova reper. tit. VI.

Digitized by Google

nus, † qui tempore Philippi Pulchri circa annum MCCLXXXV de instrumentis bellicis scripsit, reliquisset. Nec omisisset illam in Constantinopoleos oppugnatione Mahumetes, qui ad unam quamuros convellebat machinam *quinquaginta boum juga, & bis mille viros* adhibere, teste *Chalcondyla*, coactus est. Non diffitendum tamen, tempore *Richardi* II. *Anglorum Regis* in Castelli Outvicensis oppugnatione, habuisse Gallos *grosses Canõs par lesquelles les murs & les maisons du dit chastel furent fentes & percusses en plusieurs lieux*, id est *grandes machinas quibus mœnia & domicilia illius castelli percussa & lacerata fuere in pluribus locis*. Sed an machinæ illæ modernæ fuerint incertum. * *Pyxidem nauticam* ignotam fuisse veteribus, *Blondus*, *Bodinus*, *Cardanus*, *Bellonius*, *Acosta*, *Turnebus*, *Pancirolla* testantur. Tempore Salomonis si fuisset, triennium integrum in eundo & redeundo non consumsisset: nec tanta erat ejus sapientia ut nihil nesciverit. *Versoria* Plauti, *in Mercatore scena* 3. quam *Lemnius* adfert, & pyxidem vocat, putatur esse gubernaculum, quo vertitur navis, aut funis quo velum, ut *Turnebus l.* 20 *adversc.* 4. explicat. Primus inventos ejus fuisse existimatur *Flavius Melphitanus*, quanquam *Gilbertus de Magnete Paulum Venetum* à Chinensib. attulisse, *Osorius* Lusitanos barbaris piratis propè caput Bonæ spei eripuisse, affirment. Alias & illud magnetis arcanum, quo arcanas amici in maxima distantia secum communicare possunt cogitationes, nostri temporis inventum esse dicitur. Totum quia stylo & vena Lucretii *Famianus de Strada*, *lib.* 2. *Prolus.* 6. describit prolixius; verba ejus in gratiam Lectoris appono.

Magnesi genus est lapidis mirabile, cui si
Corpora ferri plura stylosve admoveris, inde

† Lib. 3. de regim. Princip. p. 3. c. 18.
* Pyxis nautica an veteribus cognita.

Non

Non modo vim motumque trahent; quo semper ad
ursam,
Qua lucet vicina polo, se vertere tentent,
Verum etiam mira inter se ratione, modoque,
Quotquot eum lapidem tetigere styli simul omnes,
Conspirare situm motumque videbis in unum.
Vt si forte ex his aliquis Roma moveatur,
Alter ad hunc motum quamvis sit dissitus longe
Arcano se naturai fœdere vertat.
Ergo age si quid scire voles, qui distat, amicum,
Ad quem nulla accedere possit Epistola, sume
Plenum orbem patulumque, notas, elementaque prima.
Ordine quo discunt pueri, describe per oras
Extremum orbis, mediaque repone jacentem.
Qui tetigit magneta stylum, ut versatilis inde
Litterulam quamcunque velis contingere possit,
Hujus ad exemplum simili fabricaveris orbem
Margine descriptum, munitumque indice ferri,
Ferri quod motum magnetæ accepit ab illo,
Hunc orbem discessurus sibi portet amicus.
Conveniatque prius, quo tempore, queisve diebus
Exploret, stylum an trepidet, quidve indice signes:
His ita compositis, si clam cupis alloqui amicum,
Quem procul à te te terrai distinet ora,
Orbi adjunge manum, ferrum versatile tracta;
Hic disposita vides Elementa in margine toto
Queis opus est ad verba notis, huc dirige ferrum,
Litterulasque, modo hanc, modo illam, cuspide tange,
Dum ferrum per eas iterumque iterumque rotando
Componas sigillatim sensa omnia mentis.
Mira fides! longe qui distat cernit amicus,
Nullius impulsu trepidare volubile ferrum
Nunc huc, nunc illuc discurrere; conscius hæret,
Observatque styli ductum, sequiturque legendo
Hinc atque hinc elementa, quibus in verba coactis,

Digitized by Google

Quid ſit opus ſentit, ferroque interprete diſcit:
Quin etiam cum ſtare ſtylum videt, ipſe viciſſim
Si qua reſpondenda putat, ſimili ratione
Litteridis variè tactis reſcribit amico.
O utinam hac ratio ſcribendi prodeat uſu,
Cautior & citior properaret epiſtola, nullas
Latronum verita inſidias, fluvioſque morantes,
Ipſe ſuis manibus princeps hanc conficeret rem.
Nos ſoboles ſcribarum emerſi ex æquore nigro
Conſecraremus calamum Magnetis ad aras.

Hactenus *Strada*. Paria ſanguine, ex duorum amicorum vena emiſſo, præſtari poſſe, author eſt *Hafenrefferus*. *De Cutis affectib. l. 3. c. 3.* Quantum ad ſingularia inventa, & horum plurima in medium produci poſſunt, quæ *Archita* columbam, *Archimedis* vitreum globum; Iliadem *Homeri* in membrana ſcriptam & nuci incluſam; Navim quadrigaſque *Myrmecidæ*, illam apiculæ pinnis, hanc muſcæ alis tegendam, ſuperant. *Albertus M.* ſtatuam vocalem, triginta annorum opus, à *Thoma Aquinate* confractam, fabricavit. *Regiomontanus* Aquilam quæ Noriberga Cæſari *Maximiliano* occurrit, eumque, tonico ſuſpenſa motu, in urbem comitata eſt, exſtruxit. Idem muſcam ferream, quæ ex manibus ejus evolavit, & in eaſdem, circulo prius in convivio facto, & ſingulis hoſpitibus viſis, revolavit; formavit. Generoſus Vir *Iohannes Chriſtophorus de Berg*, inventum ſe habere affirmat, quod una unius rotæ circumvolutione à puero ſedecem annorum facta, octingentarum librarum pondus, ad ſexaginta pedum altitudinem elevare poteſt. Notum eſt currus veliferi artificium à *Stevino* inventum, de quo ſic *Grotius*:

Ventivolam Tiphys deduxit in æquora navim,
Iuppiter in ſtellas atheriamque domum.

Iur

Digitized by Google

In terreſtre ſolum virtus Stevinia: nam nec
Tiphy tuum fuerat, nec Iovis iſtud opus.

Septendecem milliaria duabus horis ſe in eo confeciſſe alibi affirmat. Nec ignorari, credo, *Cornelii Drebbelii* ſtupendam & prodigioſam ſphęram, qua mobilis perpetui virtute, perennes explicatiſſimoſque cælestium ſyderum meatus ac leges, temporum, motuumque in iis prædeſtinationes repræſentavit. * Quid autem de illo inſtrumento ſentiendum, cujus medio in varias arborum animaliumque formas ſe tranſmutat, & apparere facit, quaſi terra apperiretur, & ſpiritus ex ea provenirent † primum in forma nubis, & poſtea ſe vertentes in aliam ſpeciem, quam illis imperat, ut in perſonam Alexandri M. vel alterius Principis aut Regis. Nil interim dicam de ejuſdem navi ſub aquis natante, & inſtrumento optico, cujus beneficio ſtellata nocte litteras per quadrantem milliaris à ſe diſtantes legere poteſt. *Iacobus Metius*, frater *Adriani Metii*, perſpicillum invenit, quo turrim vel corpus aliud quodlibet tribus milliaribus Hollandicis diſſitum, velut pede collato, & ad oculum dimetitur exactiſſime, & Angliam è littore ſuo clare proſpicit, & alia de Lunæ globo, de Galaxia, de ſtellis quas nebuloſas hactenus dixerunt Aſtronomi, de aliis circa Iovem erraticis, prodit, inaudita veterum ævo novitate. Hujus inſtrumenti rumore vulgato, ad conſimilis organi inventionem ſe deveniſſe confitetur *Galilæus Galilæi*, cujus beneficio obſervationes illas prodidit in Lunæ facie, fixis innumeris, lacteo circulo, ſtellis nebuloſis, & quatuor planetis, eorumdemque circa Iovem periodis. Idem ſupradictus in alterius cujuſdam inſtrumenti congeneris

* Vranckheimius in Epiſt. ad Burgravium. † Hegenitius Itiner. pag. 73.

Digitized by Google

ris indagationem cura & cogitatione fixiore abiit, & se reperturum speravit, quo extra Horizontem nostrum in averso hemisphærio, ultra finitorem hemisphæriorum, omnes æque stellas, atque in hoc orbe nostro apparentes possit observare. Quid de Musico illo organo dicemus? quod ejusdem sive mobilis sive moventis æterni virtute (Architecti relatu) cælo puro, Sole libero, sola radiorum strictura ab eo excitato intus Citharædo illo genio, nulla organicinis manu admota, symphoniam edit cælestissimam. Sed quis omnia referre posset? Si illa, quæ *Mornius* in suis arcanis Rosianis nuper *Lugduni Batavorum* editis habet, vera sunt, (*at credat Iudæus apella*) satis erit vel ipsius solius exemplum omnibus antiquis opposuisse. * Navigandi artem quod concernit, excellentiorem nunc esse, quam olim fuit, non opus est ut ostendatur. I. Veteres columnis Herculis inscripsere; Non ultra: & de primis navigiis ita Lucanus

Primum cana salix madefacto vimine parvam
Texitur in puppim, cæsoque inducta juvenco
Victoris patiens humidum superenatat amnem.
Sic Venetus stagnante Pado, fusoque Britannus
Navigat Oceano.

II. *Francastorius* & *Acosta* fatentur nullibi apud veteres legi navigationem altissimo commissam oceano: sed tantum littus à Phænicibus, Carthaginensibus, Tyriis & Sidoniis lectum. III. Patrum demum nostrorum temporibus circumnavigatus est ab *Americo*, *Draco*, *Candischio*; Nostris *ab Oliverio van Nort*, *Schoutenio*, *Spilbergen*, *L'Heremite* orbis terrarum, & stupendæ in septentrionem ab *Anglis* & *Belgis* susceptæ expeditiones. Quin præcepta artis navigandi à *Petro Medina* & *Baptista*

* An tanta apud veteres navigandi peritia, quanta nunc?

Digitized by Google

Baptiſta Ramuſio conſcripta habentur; lectioneſque publicæ à Carolo V. inſtitutæ adhuc durant. Quod vero *Vatablus* & *Arias Montanus*, quibus & *Alſtedius* accedere videtur, Ophir unde Salomoni aurum & Ebur, Peru eſſe per tranſpoſitionem volunt, concedi nequit. * Nam in India occidentali nulli ſunt Elephantes; & cum ſub Franciſco Pizarro regiones Attabalibæ detectæ fuiſſent, & Hiſpani ignorantes linguam, indiciis manuum vel aquam vel aliud quid notaſſent, Indiani Peru id è aqua reſpondere. Sic Iucatan, cui nomen à Ioktane eſſe exiſtat *Montanus*, nihil aliud eſt quam quid dicis? quid quæris? Sententiam *Pinedæ*, qua Tarteſſi nomen Tarteſſo in Hiſpania applicat reciſaſſe, eſt refutaſſe. Nullæ enim ibi ſunt venæ auri tam copioſæ, niſi forte in novum orbem tranſlatæ, magnis claſſibus revehantur. Cum itaque ſe res ita habeat, certiſſimum apparet, nihil artes ſuccessu temporis paſſas eſſe, ſed in ſublime fere deductas faſtigium. Liceat ergo dicere cum Lactantio *L. 2. c. 8. Divin. inſtitut. Dedit omnibus Deus pro virili portione ſapientiam, ut & inaudita inveſtigare poſſet, & audita perpendere; nec quia non illi temporibus antecesſerunt, ſapientia quoque antecesſerunt, quæ ſi omnibus æqualiter datur, occupari ab antecedentibus non poteſt. Illibabilis eſt tanquam lux & claritas Solis, quia ut Sol oculorum, ſic ſapientia lumen eſt cordis humani. Quare cum ſapere, id eſt veritatem quærere, omnibus ſit innatum ſapientiam ſibi adimunt, qui ſine ullo judicio inventa majorum probant, & ab aliis pecudum more ducuntur. Sed hoc vos fallit, quod majorum nomine poſito non putant fieri poſſe, ut aut ipſi plus ſapiant, quia minores vocantur, aut illi deſipuerint, quia majores nominantur.*

MEM-

*An Ophir ſit Peru.

Digitized by Google

MEMBRVM VII.

Tanta olim fuere vitia, quanta nunc sunt.

ENavigato Artium freto, in ampliſſimum morum devenimus pelagus, cujus horrendi præcipui fluctus & immenſæ procellæ, contrariæ partis aſſertores promovent. Quamvis autem vitiorum etiam nunc plena ſint omnia: tamen, cum hiſce ultimis temporibus, maxima fere orbis noti pars ad Chriſtianam converſa fuerit religionem; nulla ratione concedi poteſt, peſſimam ratione priorum eſſe eandem. *Lactantius* ipſe *l. 5. Inſtit. c. 7.* in hæc verba prorumpit: *Deus ut parens diligentiſſimus appropinquante ultimo tempore nuncium miſit, qui vetus illud ſeculum, fugatamque juſtitiam reduceret, ne humanum genus maximis & perpetuis agitaretur erroribus. Rediit ergo ſpecies: illius aurei temporis.* Dici tamen nequit ſemper & in omnibus locis augeri probitatem hominum, ſed agnoſcendum eſt, *rebus cunctis ineſſe quendam velut orbem, & quemadmodum temporum vices ita morum verti: Tacit. in Annal.* Futura vitia dum homines, ſed neq; hæc continua & meliorum interventu penſata. *Hoc majores noſtri queſti ſunt,* (inquit Seneca *l. 2. de benef. c. 10.*) *hoc nos querimur, hoc poſteri noſtri querentur, everſos eſſe mores, regnare nequitiam, in deterius res humanas & in omne nefas labi: At iſta ſtant eodem loco, ſtabuntque, paululum dumtaxat ultra aut citra mota, ut fluctus, quos æſtus accedens longius extulit, recedens majori litterarum veſtigio tenuit. Nunc in adulterio magis quam in alio peccabitur, abrumpetque frenos pudicitia, nunc convivierum vigebit furor, & fœdiſſimum patrimoniorum exitium culina, nunc cultus corporum nimius & forma cura, pro ſe ferens animi deformitatem, &c. Non expectant*

Digitized by Google

ctant uno loco vitia, sed mobilia & inter se dissentientia, tumultuantur in vicem fuganturque. Sed quia adversa pars nervosissima ex hac materia depromit argumenta, aliquanto strictius & accuratius de illa agemus. Cum vero alia vitia in religione, alia in politia, alia in privata societate committantur, & horum singularis cum omnibus comparatio prolixa nimis esset, ut illa attingemus; sic hæc cum *Romanis*, quos omnium nationum virtute & prudentia excellentissimos. Historici & alii scriptores pronunciant, comparabimus. Comprehenduntur itaque sub isto membro hæc puncta. I. *Religionem Antiquorum nimis fuisse stolidam.* II. *Plurimas in Politia eorum leges impias.* III. *Immensam Populi Romani fuisse crudelitatem.* IV. *Incredibilem avaritiam.* V. *Inauditam luxuriam in Venere & potu.* VI. *In Cibis.* VII. *In Ædificiis.* VIII. *In vestitu.* IX. *Iustitiam, prudentiam & fortitudinem R. P. nullam fuisse.* X. *Probabile esse, futuram adhuc in majori flore Ecclesiam, quam unquam ante hac fuit.*

Punctum I. *Religio veterum erat nimis stolida.*

VEterum religionem vanam, stolidam, & impiam fuisse, ex imaginibus, numero, conditione, & cultu Deorum intelligi facillime potest. Primum illud vel ex *Esai.* 44. *v.* 8. (nil de Ieremia*. & † Salomonis sapientia dicam) sufficientissime ostenditur. In idoli namque formatione non aliter procedit humana stultitia; *Faber lignarius extendit regulam; delineat ipsum, amussi aptat illud in angulos suos, aut circino format illud: denique facit illud ad structuram viri, secundum ornatum humanum, ut desideat domi, cadendo sibi cedros quum sum-*

sit

* Ierem. 9. 3. † Sapient. 18. v. 10.

sit cupressum & robur, aut quæ fortificat se inter arbores sylvæ: ornum quam plantaverit, & pluvia educaverit. Tunc est homini ad comburendum, qui sumit ex eis, ut caleſiat, etiam accendit furnum ut coquat panem; etiam operatur Deum fortem, cui honorem exhibens incurvat se, aptat ipsam in sculptile ante quod procumbit. Partem ejus exussit igni, ad partem ejus carnes comedit, assat assum, & satiatur: etiam caleſit, dicitque: Euge eucalui, vidi ignem. Residuum autem ejus in Deum fortem aptat exsculpendo illud; procumbit coram illo, incurvatque se, & deprecatur ipsum dicens: Eripe me, nam Deus fortis meus es. &c. At quæ dementia quæso est, aut ea fingere quæ ipsi postmodum timent, aut timere quæ finxerunt. Si sentire simulachra aut moveri possent, ultro homines adorarent, à quibus sunt expolita. Ideo *Seneca* Ethnicus quamvis in ludibrium dicit: *Simulachra Deorum venerantur, illis supplicant genu posito, illa adorant, & cum haec suspiciunt, fabros qui illa fecere, contemnunt.* Numerus Deorum tam ingens apud Ethnicos fuit, ut fere facilius potuisses Deum quam hominem invenire. Apud Boccacium *de geneal. Deorum* fere sunt innumerabiles. Crinitus *de honest. disc. l. 3. c. 14. triginta millia* eorum numeravit. Varro *Ioves solos trecentos.* Fuere nempe Dii majorum gentium, Tutelares, Lares, Dii penates & penetrales tam multi, ut in hæc verba, *Major cœlitum populus etiam quam hominum intelligi potest, cum singuli quique ex semetipsis singulos Deos faciant, Iunonesque Genioſque adoptando sibi;* Plinius *l. 2. c. 7.* erumpat. Solius frumenti ex diversitate temporum diversimode se habentis, *Segetia Tutelina, Proserpina, Nodotus, Volutina, Patilena, Hostelina, Flora, Lactucina, Matuta, Runcina,* Deæ erant. Nec omnia commemoro, quia me piget, quod illos non pudet. *Conditio Deorum* risum unicuique movere posset. *Flora*

cum

Digitized by Google

cum meretricia corporis sui prostitutione divitias corrasisset, & illarum R. P. hæredem testamento scripsisset, *Floralibus* nomen dedit. *Iuno* & soror & uxor est Iovis. *Fortuna*, *Fornax*, *Muta*, *Tymor*, *Pallor*, *Febris*, *Priapus* & *Cupido*, non nomina sunt colendorum, sed crimina colentium. Quid de *crepitu ventris*, *cloacina*, *sterquilinio* dicam? Quid de Trojanis qui *murem*, Ægyptiis qui *cepas & allium* adorabant, proferam! *Mephitis* magnum apud Ethnicos habuit honorem. * Nam in vastatione Cremonæ, expilata omnium Deorum & Dearum templa; soli hujus, ex religiositate, milites pepercere. At hæc fœtoris Dea erat. Modus colendi in multis crudelis fuit, in multis etiam obscœnus. Mortuis humanas immolabant victimas, & ignem cruore humano tanquam oleo pascebant. Id apud Trojanos & Græcos teste *Virgilio*, *Aeneid.* 11. & 2. apud Carthaginenses auctore *Silico*, *lib.* 4. apud Gallos referente *Lucano*, apud Moabitas & Chananæos docente *Scriptura* † apud Romanos, quamvis sub Consulatu *Cornelii Lentuli* & *Licinii Crassi*, abrogata impia hæc consuetudo fuerit: apud Iudæos denique ostendentibus *Libris* * *Regum*, in more fuit positum. *Lactantius* refert ex *Pescenio Feste*, Carthaginenses victos ab Agathocle Siciliæ Rege, veritos ne intermissio Saturnini cultus in causa esset, eidem ducentos nobiles pueros una vice obtuliſſe. Molochi apud *Iudæos* statua erat in valle Gehennon seu Tophet, pueri oblati interioribus idoli includebantur, & ignis accendebatur: ne vero eorum ejulatus exaudirentur, tympana & cymbala pulsabantur. Obscœnitatem *Priapus* & *Berecynthia* ostendere possunt. Illius figura erat nuda. De sacerdotibus dicitur.

Nos

* Tacit. 3. Hist. c. 6. † Deut. 12. 31. 2. Reg. 1. * 2. Reg. 16. L. 1. c. 21.

Digitized by Google

Nos pudore pulso flamus sub Ioue
Cœlis aperto.

Finito sacrificio promiscua libido à cultoribus exercebatur. Summa *. *Hic morbus, hoc crimen, hoc dedecus habebat inter illa sacra professionem, quod in vitiosis hominum moribus vix habet inter tormenta confessionem.* Ante Berecynthiæ lecticam die solemni lavationis, † talia per publicum cantitabantur, à nequissimis scenicis, qualia non dico matrem Deorum, sed matrem qualiumcumque senatorum, vel quorumlibet honestorum virorum, imo verò qualia nec matrem ipsorum scenicorum deceret audire. * Lyndiani vero illa sacra pro violatis habebant, si quando inter solemnes ritus vel imprudenti alicui excidisset bonum verbum. De Augurijs, Extispicijs, & alijs divinationum generibus, ut & Thalmudistarum atque Cabalistarum ineptiis, nil dicam. Illa ipsi Ethnici Cato & Cicero *de divin. l. 2.* irrisere: hæc *Petrus Galatinus* de *arcanis Catholicæ veritatis, Buxtorfius in Synagoga Iudaica* descripserè. Cum itaque tam stolida, crudelia & obscæna antiquorum sacra fuerint, non mirum est Senecam scripsisse, *in fragmentis. Si intueri velit quæ faciunt, quæque patiuntur superstitiosi, inveniet tam indecora honestis, tam indigna liberis, tam dissimilia sanis, ut nemo fuerit dubiturus, furere eos si cum paucioribus furerent, nunc sanitatis est patrocinium insanientium turba.* De Diis qui plura voluerit consulat *Gyraldum* in *Syntagmate, Dempsterum in Antiquitatibus Romanis*, & *Seldenum* de *Diis Syris*.

* Aug. de C. D. l. 6. c. 8. † August. de C. D. l. 2. c. 4. * l. 1. c. 21.

Punc.

Punct. II. *Multa apud antiquos impia fuere leges.*

VT religionem multis inter antiquos conspurcatam vitiis esse ostendimus: sic, cum lex sit sanctio sancta, jubens honesta, prohibens contraria, idem de legibus ostendere facillimum erit. Quia vero *Solon* & *Lycurgus* clarissimas fundasse Respublicas dicuntur, *Plato* & *Aristoteles* optimas earundem conscripsisse ideas, istos si impietatis & injustitiæ convincere poterimus, satisfiet ni fallior rei ipsi. In Solonis Repub. duæ potissimum notantur. Prima, quapropter levamentum pauperum omnes præteritorum debitorum abolevit contractus. Altera, qua illos qui in seditione Reip. neutrius partis sunt, infames esse voluit. Prior injusta fuit, quia amicis suis, qui de proposito ejus edocti, ingentem pecuniæ summam mutuo sumsere, eandem, promulgata lege, reddere non injunxit; & particularibus debitorum rationibus non examinatis, omnium generalem abolitionem induxit. Altera, quia modum seditiones in Rep. sedandi, præscidit. Ab illis sit necesse est dissidentium reconciliatio; qui medii sunt inter illos. *Lycurgus* omnes suas leges ad fortitudinem & bellicæ Reip. constitutionem direxit; licitum esse furari cibos pronunciavit, nec, ut in facto ipso deprehensi punirentur, permisit; athletica puerorum & puellarum nudarum certamina, publice absolvenda instituit; denique, ut juvenculis senum uxoribus licitum esset, quemcunque vellent ex juvenibus eligere, ex quorum congressibus liberos progignerent, ordinavit. Atqui ut pax non ordinatur ad bellum, sed vice versa: Sic Resp. pro pace potius instrui debet quam bello. Qui in pueritia rebus malis addicuntur, in juventute habitu acquisito,

Digitized by Google

acquisito, nec maximis parcent. Lex illa quæ inducit ad fallendum in quibusdam, inducit ad fallendũ quoties & quandocunq; potuerit; nec possunt furta melius exerceri, quam sub protectione legis, quæ pœnam non propter furtum, sed propter non adhibitam dexteritatem imponit. Ad libidines denique incitare, adulteria permittere, quæ impietas? *Plato* sua de Gymnasiis à juvenibus & virginibus instituendis idem quod *Lycurgus* meruit; illa qua communia omnia esse vult, naturæ adversam Reip. Formam constituit. Si conjugia tollerentur, & promiscua inducerentur procreatio, naturalis inter parentes & liberos amor periret, & propter querelas homicidia inter ipsissimos fratres orirentur: honesta & legitima essent, quæ flagitiosa & turpia solent judicari. Rei proprietas & virtutum & vitiorum materiem continet; communitas autem nihil aliud quam vitiorum licentiam. Absurdissimus omnium videtur *Aristoteles*. Nam I, deformes liberos exponere jussit. At non potest natura velle, ut aliquid procreetur, non ametur productum. * *Expectet aliquis ut alieno sanguini parcant, qui non parcunt suo? Non possunt innocentes existimari, qui viscera sua in prædam canibus objiciunt, & quicquam in ipsis est crudelius necant, quam si strangulassent.* II. Abortum injunxit. At ideo Mileti quædam damnata ad mortem. Putabatur quippe designatum Reip. civem sustulisse. Denique picturas Deorum, in quibus consuetudo lasciviam permittit retineri, alias vero rejici mandavit. At plus imitatione Deorum peccatur. Lucianus certe expresse fatetur; se, cum de adulteriis & rapinis Deorum audivisset, amore eorundem flagrasse: & *Chremes* in *Terentio* dicit, se, cum vidisset tabulam Iovis in aurea

* Lactan. l. 6. c. 23.

Digitized by Google

aurea pluvia in gremium Danaës descendentis, exemplo ad idem faciendum stimulatum fuisse. *At quem Deum?* inquit, *qui templa cæli summa sonitu concutit; Ego homuncio hoc non facerem; Ego vero illud ita feci, & lubens.* Scilicet. *Magis inuentur, quid fecerit Iuppiter, quam quid docuerit Plato, vel censuerit Cato.* Huc pertinent leges *Saxonum* quæ non minus absurdæ. Nam in dubiis causis, deficientibus manifestis probationibus ad inveniendam veritatem, utebantur modo certaminibus gladiatoriis, modo attactu ferri igniti, & aquæ ardentis, modo in fluvii profundum immissione. Qui in illis occidebantur, rei erant; infamis victor nisi occidisset prostratum: qui in istis illæsi manebant, absolvebantur. In profundum delati innoxii proclamabantur; in superficie natantibus tanquam ab aqua rejectis, culpa adscribebatur.

Punct. III. *Immensa erat Romani Populi crudelitas.*

SEd progrediamur ad Romanorum scelera, & videamus, an non nostrorum vel paulo prætentorum temporum vel æquent vel superent facinora. Sive enim hoc sive illud manifeste apparuerit, falso universalem morum in pejus ruinam asseri, conjicietur. Primo autem occurrit Crudelitas quam ex Iudæis, Christianis, nationibus aliis, ipsismet inter se Romanis, tanquam invincibilibus indiciis, ostendo. Iudæorum, in obsidione tantum Hierosolymitanæ urbis, * cæsi *decies centena millia*, capti *nonagima septem millia*. Tempore Trajani infinita eorum millia internecioni data, *Eusebius* author est. Iulius Severus ab Adriano Imperatore in Iudæam missus, omnem fere

E vasta-

* Lipsius de Constant.

Digitized by Google

vastavit. Nam quinquaginta fortissima castella diruit, nongentas octoginta quinque villas, cum oppidis, cremavit, quinquaginta Iudæorum millia interfecit. Quantum ad Christianos, nomen tantummodo in iis damnabatur, non crimen. Vnde Lugduni Attalo Martyri prælata tabella, cum inscriptione. *Hic est Attalus Christianus*. Polycarpo in Asia acclamatum, *Polycarpus Christianum se esse confessus est:* nihilominus tantæ persecutiones erant, ut decem priores Ægypti plagis comparet *Augustinus, de Civit. Dei l.18.c.52.* *Sub Nerone in usum nocturni luminis cremabantur. De *Diocletiano* scribit *Lactantius*: *Nemo hujus tantæ bellua immanitatẽ potest pro merito describere, qua une loco recubans; tamen per totum orbem dentibus ferreis sævit, & non tantum artus hominum dissipat, sed & ossa ipsa comminuit, & in cineres furit, ne quis extet sepultura locus.* Nullum diem tum fuisse, ait *Hieronymus, in Epist. ad Chromat. & Heliodor.* cui quinque millia occisorum non potuerint adscribi: Triginta Romani Episcopi à *Petro ad Sylvestrum* martyrio affecti sunt, & ut tribus verbis quod volo dicam, † *Omnis fere sacro Martyrum cruore orbis tum infectus est, neque ullis unquam bellis magis exhaustus est.* Quod si genera tormentorum enumerare deberemus, possemus audacter illo Virgilii, *Æneid. lib. 6.* uti,

Non mihi si centum linguæ sint, oraque centum,
Ferrea vox, omnes scelerum comprendere formas,
Omni pœnarum percurrere nomina possem.

Comburebantur in fornacibus, conjiciebantur in oleum fervens, privabantur oculis & linguis, objiciebantur bestiis, suibus etiam siliquis involuti apponebantur, assabantur lento igne, & aceto salcque aspergebantur, præcipites dabantur de petris,

* Tacit. in Annal. l.6.c.11. † Sulpit. l.2 Sacr. Histor.

Digitized by Google

nis, lacerabantur constrictis, mox dissolutis arboribus, &c. Nationes alias ut tangam, * unum *bellum Punicum* II. in solis, Italia, Hispania, Sicilia, supra *quindecies centena millia hominum*, non totis annis septemdecim consumsit. Et quid bella recenseo, plurium auspicio gesta aut ductu? Vnus ecce Cajus Cæsar (ô pestem perniciemque generis humani!) fatetur, & quidem glorians, *undecies centena & nonaginta duo millia hominum praliis à se occisa*. Addi huic potest Q. Fabius, qui *centum decem* Gallorum millia, C. Marius qui *ducenta* Cimbrorum, posteriori ævo *Aetius*, qui memorabili Catalaunico prælio, *centum sexaginta duo Hunnorum millia* occidit. Quid jam dicam de *Octaviano Augusto*, qui Perusiæ *trecentos cives* ad aram Iulii sacrificavit? quid de *Caracalla*, qui Alexandriam populosissimam urbem uno fere impetu delevit? † quid de *Valesio Messala*, qui *cum* C C C, *uno die securi percussisset, incedens inter cadavera vultu superbo, quasi magnificum quiddam conspiciendum fecisset, Græce proclamavit, ô rem regiam! dicendo*. Sulpitii Galbæ horrendum factum apud *Lipsium* invenies, ‡ Scelerata perfidia universam fere Portugalliam, in quodam vallo, trina militū immissione, excidit. Quin nec ipsa animalia à Romanorum sævitie libera. Scribit enim *Polybius*; *frequenter videre est quando Romani civitates capiunt, non homines modo occidi, sed canes etiam dissecari, & aliorum animalium membra truncari*. Crudelitatem adversum se exercitam, Civilibus tantum bellis, Imperatorum regimine, & gladiatorum spectaculis ostendam: Si enim sufficule eandem deducere vellem, punctum abiret prolixitate in volumen. Scribit namque *Seneca; De ira l. 2. c. 8. Adeo in publicum missam nequi-*

* Lipf. lib. 2. de Conft. cap. 22. † Seneca lib. 2. de Ira cap. 5
‡ Admir. lib. 4. cap. 6.

Digitized by Google

etiam esse, & in omnium pectoribus evaluisse, ut innocentia non rara, sed nulla sit. Et Tacitus de solis illis temporibus; *Legimus cum Aruleno Rustico Petus Thrasea, Herennio Senecioni Priscus Helvidius laudati essent, capitale fuisse, nec in ipsos modo authores, sed in libros etiam sævitum, delegato Triumviris ministerio, ut monumenta clarissimorum ingeniorum in comitio ac foro urerentur: scilicet ille igne vocem populi Romani, & libertatem Senatus, & conscientiam generis humani abolere arbitrabantur. Expulsis insuper sapientiæ professoribus, & omni bona arte in exilium acta, ne quid usquam honestum occurreret. Dedimus profecto grande patientiæ documentum, & sicut vetus Resp. vidit, quid ultimum in libertate esset, ita nos quid in servitute; adempto per inquisitiones etiam loquendi audiendique commercio, memoriam quoque ipsam cum voce perdidissemus, si tam in potestate nostra esset oblivisci quam tacere.* Civilia bella quod concernit, * *Sylla* crudeliter totam urbem, atque omnes Italiæ partes civilis sanguinis fluminibus inundavit. Quatuor millia & septingentos diræ proscriptionis edicto jugulatos, in tabulas publicas retulit, videlicet, ne memoria tam præclaræ rei diflueretur; Abscissa miserorum capita, modo non vultum ac spiritum retinentia, in conspectum suum afferri voluit, ut oculis illa, quia ore nefas erat, manderet. *M. Marium* prætorem, per ora vulgi ad sepulchrum Luratiæ gentis pertractum, non prius vita privavit, quam oculos infelicis erueret, & singulas corporis partes confringeret. Quin *M. Platorium*, quod ad Marii supplicium exanimis conciderat, continuò ibi mactavit; *novus pœnitor misericordiæ, apud quem iniquo animo scelus intueri, scelus admittere fuit.* Quatuor etiam legiones contrariæ partis, fidem suam secutas, in Publica Villa (quæ in Martio campo erat)

* Vell. l. 2. c. 2.

Digitized by Google

erat) necquicquam fallacis dexteræ misericordiam implorantes, obtruncari jussit; quarum lamentabiles quiritatus trepidæ civitatis aures receperunt; laceratæ ferro corpora Tiberis impatiens tanti oneris cruentatis aquis vehere coactus est. Cum autem Senatus ad illorum clamorem attonitus stetisset, *Hoc agamus Patres conscripti*, subjunxit, *pauculi seditiosi jussu meo puniuntur*. Idem denique C. Marii, cujus, etsi postea hostis, quæstor tamen aliquando fuerat, erutos cineres in Anienis alveum sparsit. Non descivere ab ejus vestigiis *Triumviri*: Nam simili proscriptioni *trecentos Senatores* & *bis mille Equites* exposuerunt. Non est itaque mirum, *Augustinum de C. D. l. 3, c. 27.* scribere, *Illo bello Mariano atque Syllano, exceptis his qui foris in Asia ceciderunt; in ipsa quoque urbe cadaveribus plateæ, fora, theatra, templa completa fuisse, ut difficile judicaretur quando victores plus funerum ediderunt, utrum prius ut vincerent, an postea quia vicissent*. Et Lipsium *de Const. l. 2. c. 24.* in hæc prorumpere verba: *Heu scelera quibus nihil acerbius Sol ille vidit visuruſque est ab ortu omni ad occasum! peream ego, nisi humanitatem ipsam periisse dicas fero & ferino illo ævo*. Ex Imperatoribus sufficiet *Caligulam* solum produxisse. * In hunc namque omnis crudelitatis videntur confluxisse sentinæ. Multos honesti ordinis deformatos prius stigmatum notis, ad metalla aut viarum munitiones, aut ad bestias condemnavit, aut bestiarum more quadrupedes cavea coërcuit, aut medios serra dissecuit. Nec omnes gravibus de causis, verum male de munere suo opinatos, vel quod nunquam per genium suum dejerassent. Parentes filiorum supplicio interesse cogebat, quorum uni valetudinem excusanti lecticam misit: alium è spectaculo pœnæ epulis statim

* Sueton. in Calig.

Digitized by Google

tim adhibuit, atque omni comitate ad jocos & hilaritatem provocavit. Curatorem munerum ac venationum per continuos dies in conſpectu ſuo catenis verberatum non prius occidit, quam offenſus putrefacti cerebri odore. Cum diſcerpi Senatorem concupiviſſet, ſubornavit qui ingredientem curiam, repente hoſtem publicum appellantes, invaderent, graphiiſque confoſſum lacerandum cæteris traderent: nec ante ſatiatus eſt, quã membra, & artus, & viſcera hominis tracta per vicos, atque ante ſe congeſta vidiſſet. Non temere in quenquam, niſi crebris & minutis ictibus, animadverti paſſus eſt: perpetuo notoque jam præcepto; *Ita feri ut ſe mori ſentiat*: Infenſus turbæ faventi adverſus ſtudium ſuum exclamavit. *Vtinam populus Romanus unam cervicem haberet!* Sæpe in conſpectu prandentis vel comeſſantis ſeriæ quæſtiones per tormenta habebantur. Miles decollandi artifex, quibuſcumque è cuſtodia amputabat capita. Puteolis dedicatione pontis, cum multos è littore invitaſſet ad ſe, repente omnes præcipitavit. Lautiore convivio effuſus ſubito in cachinnos, Coſſ. qui juxta cubabant, quidnam rideret blande quærentibus; *Quid*, inquit, *niſi uno meo nutu jugulari ſtatim utrumque veſtrum poſſe.* Quoties uxoris vel amiculæ collum exoſcularetur, addebat; *Tam bona cervix ſimul ac juſſero demetur.* Quin & ſubinde jactabat, *Exquiſiturum ſe vel ſidiculu de Caſonia ſua, cur eam tantopere diligeret.* Recte itaque de illo *Seneca*: *Præf. ad 4. Natur. quæſt. Sciebam olim ſub illo in eum ſtatum res humanas decidiſſe, ut inter miſericordiæ opera haberetur occidi.* De *C. Piſone* vide *eundem de ira, l.* 1. *cap.* 16. Gladiatoria ſpectacula ad expiandos magnorum virorum manes erant inſtituta, in quibus homines nudi committebantur; nec tam placebat congreſſus, quam variata

Digitized by Google

variata vulnerum inflictio. Transiit hoc genus editionis post ab honoribus mortuorum ad honores vivorum; tandem privatorum etiam memoriis, legatariis editionibus parentatum est. Ascendere denique ad multitudinem. Nam *Cæsar* in sua Ædilitate, *trecenta & viginti* paria exhibuit; *Gordianus* interdum *quingenta*. *Trajanus* spacio centum viginti trium dierum, sine intermissione, *duo millia*. *Nero* exhibuit ad ferrum *quadringentos Senatores, & sexcentos Equites Romanos*. Commodus ipse inter gladiatores fuit. Primo tamen non nisi mancipia adhibebantur. Quamvis autem verissimum sit, quod Lipsius *Serm. Saturn.* I. 12. scribit; *Non temere à funere orta res, qua revera funus & pestis orbis terra; Credo, imo scio, nullum bellum tantam cladem vastitiemque generi humano intulisse, quam hos ad voluptatem ludos: numerum cum animis vestris recensete dierum quos dixi hominumque, mentiar, si non unus aliquis mensis Europæ stetit vicenis capitum millibus aut tricenis*: tamen, *Cicerone* teste *in Orat. pro Sextio*, id spectaculi genus erat, quod omni frequentia atque omni genere hominum celebrabatur; quo multitudo maxime delectabatur *. Irascebantur sæpe pugnantibus, nisi celeriter è duobus alter occisus esset, & tanquam humanum sanguinem sitiissent, oderant moras. Nec de plebe id tantum accipiendum, notata hæc immanitas etiam in *Vestalibus*. Hinc *Prudentius*:

——— ——— *Consurgit ad ictus*
Et quoties victor ferrum jugulo inserit, illa
Delicias putat esse suas, pectusque jacentis,
Virgo modesta jubet converso pollice rumpi.

Possem hic aliquid de *Autocheiria* addere, quæ nō tantum commissa à plurimis, sed & à *Seneca* multis in locis approbata: Sed nolo lectorem diutius

* Lactant. l. 6. c. 20.

Digitized by Google

detinere. Hoc interim coronidis instar addo, ipsam Ethnicorum religionem, hujus sævitiæ fuisse nutritiam. * Si quis enim unum hominem jugulasset, pro contaminato & nefario habebatur, nec ad terrenum hoc domicilium Deorum admitti eum fas putabant. Ille autem qui infinita hominum millia trucidasset, cruore campos inundasset, flumina infeciisset, non modo in templum, sed etiam in cœlum admittebatur. Apud *Ennium* sic loquitur *Africanus*:

Si fas cadendo cælestia scandere cuiquam est,
Mi soli cæli maxima porta patet.

Scilicet quia magnam partem generis humani exsinxit ac perdidit.

Punct. IV. *Immensa fuit Romani populi avaritia.*

AVaritiam Romanorum præter innumeros divitiarum thesauros, quos *Cecilius*, *Claudius*, *Crassus*, & *Seneca* qui intra triennium plus acquisivit quam 9355000. Imperialium, † possidebant; præter *Galgaci*, qui *raptores orbis* nominat; *Petronii Arbitri*, cujus istud *in Satyrico*:

Orbem jam totum Victor Romanus habebat,
Qua mare, qua tellus, qua sydus currit utrumque,
Nec satiatus erat:

Jugurthæ, qui Roma egressus, * *O venalem urbem, & mature perituram si emptorem invenerit proclamavit: Seneca* denique, cujus verba; *Epist. 116. Hæc ipsa res tot magistratus, tot judices detinet, qua magistratus & judices facit, pecunia; testimonia*, modi divitias acquirendi testantur. Præcipui enim per rapinas, extorsiones, fraudulentas decisiones, summas denique molestias eorum qui adhibebantur,

* Lactantius † Tacit. in vita Agricolæ. * Salustius.

Digitized by Google

bantur, erant. In auri mineris ad Ictimulum erant *quinque* fossorum *millia*: in illis quæ ad novam Carthaginem in Hispania, *millia quadraginta*. Quomodo tractati fuerint, *Plinius l. 2. Nat. Hist. c. 63. l. 33. c. 4.* prolixe describit. Alias notum quid Verres fecerit in Sicilia: * quid C. Gracchus ex Sardinia redux dixerit? *Sylla* ex minore Asia singulis annis *viginti millia talentorum* deprompsit. *Brutus & Cassius* intra biennium *decennii* tributum exegerunt; Antonius spacio *unius anni* extorsit. Summa ad *ducenta talentorum* ascendit *millia*. *Pleminius* Scipionis Tribunus *Proserpinæ* thesauros omni ætate intactos expilavit. † *Sulpitius Galba* cum oblatam à Tarraconensibus è vetere templo Iovis coronam auream librarum quindecim conflasset, tres uncias quæ ponderi deerant exigi jussit. * *Iulius Cæsar* in primo consulatu *tria millia pondo* auri furatus è Capitolio, tantundem inaurati æris reposuit. Vni Ptolemæo prope *sex millia talentorum* suo Pompejique nomine abstulit. Nec abivit ab hoc vitio *Tiberius*. † Sat enim constat, Cn. Lentulum augurem, cui census maximus fuit, metu & angore ad fastidium vitæ ab eo actum, & ut ne quo nisi ipso hærede moreretur. At quod vilissimum est, quendam minis adegit, ut se æger hæredem pronunciaret, * & sanitati restitutum veneno postea sustulit; per cumulos denique auri & argenti interdum incedebat, nudus interdum volutabatur. Sed posset hic objici, non mirum id in monstris fuisse. Verum est: † sed & *Vespasianus* qui bonus Imperator audiebat, ejusdem fuit comatis. Ille etenim negotiationes quoque vel privato pudendas propalam exercuit, coemendo quædam tantum, ut pluris postea distraheret. Credi-

1. * Gell. 15 12. † Sueton. in Galba c. 12. * Idem in Iulio cap. 54. † Idem in Tiberio, c. 49. * Fulgosus. † Sueton. in Vespas. c.

tur etiam rapacissimum quemque procuratorum ad ampliora officia ex industria solitus promovere, quo locupletiores mox condemnaret: quibus quidem vulgo pro spongiis dicebatur uti, quod quasi & siccos madefaceret, & exprimeret humentes. Non tangam *urinarium vectigal*: quod cum ignominiæ filius *Titus* accusasset, ille admota ejus naribus inde collecti argenti particula, quæsivit, an aliquid ex urina fœtoris contraxisset, & subjunxit; *bonum odorem lucri ex re qualibet*. Videtur autem omnes isti vitio obnoxios fuisse. Nam cum Aricini & Ardeates controversiam de agris, Romanorum permisissent arbitrio, hi sibi eos adscripsere. Acceptis etiam à quibusdam Civitatibus pro libertate pecuniis, his non redditis, tributa tamen exegerunt. Id tã turpe imperio existimat *Cicero*, ut dicat, *Piratarum meliorem fidem quam Senatus*. Vere itaque *Salvianus*, *l.7. de providentia*. videtur dicere. *Avaritia inhumanitas proprium Romanorum malum*. Nec immerito illis applicari potest id *Claudii* de *Ruffino*:

Plenus savitia, lucrique cupidine fervens,
Non Tartessiacis illum satiaret arenis
Tempestas preciosa Tagi, non stagna rubentis
Aurea Pactoli, totumque exhausserit Hamum,
Ardebit majore siti.

Punct. V. *Immensa fuit Romanorum in Venere & potu luxuria.*

AVaritia ad incontinentiam transeo, quam in venere, potu, cibo, ædificiis & vestitu sufficienter ostendisse suppono. Illam multiplicem & nefandam quamvis, non tangam tamen, multis ut parcam auribus. Notavit eam *Paulus* in Epistola ad *Romanos cap. 1.* evidentissime. Ostendere eandem

Digitized by Google

eandem possunt sola *Floralia*, in quibus meretrices sub titulis prostitutæ, nudæ per plateas discurrebant, verba obscæna cum gestibus adhibentes, & omnium expositæ spectaculo. De hoc Ovidius.

Nobilis hæc virgo Matronaque, virque, puerque
Spectat, & ex magna parte Senatus adest.
Nec satis incastis temerari vocibus aures:
Assuescunt oculi multa pudenda pati.

Ebriositatem diuturnitas præcipue bibendi, magnitudo haustuum, bibonum multitudo & amor, vasorum denique ratio; infallibiliter ostendit *Diuturnitas*. Imitabantur Græcorum bibendi leges, quarum una fuit, ad *diurnam stellam matutinam potare*; altera, tot salutes, quot virginis nomen constaret literis. Hinc *Martialis*:

Navia sex Cyathis, septem Iustina bibatur,
Quinque Lycas, Lyde quattuor, Ida tribus.

Magnitudo. Nivellius namque *Torquatus* coram Tiberio tres congios uno haustu ebibit, & inde Tricongii nomen meruit. *M. Cicero* junior duos congios uno haustu exhausit. *M. Antonius* de propria ebrietate scripsit. De eodem *Cicero*, *Philip.* 1. *Tu istus faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate, tantum vini in Hippia nuptiis exhausisti, ut tibi necesse esset in Romani populi conspectu vomere postridie.* Quid de *Cleopatra* dicam, quæ uno haustu *ter mille centum viginti quatuor imperiales* deglutivit? Quid de *Clodio Æsopi Tragedi* filio? *Horatius Serm.* 2. sic de eo,

Filius Æsopi detractam ex aure Metella,
(Scilicet ut decies solidum exsorberet) aceto
Diluit ingentem baccam, qui sanior ac si
Illud idem in rapidum flumen jaceretve cloacam.

Firmus etiam situlas duas plenas mero duxit. De *Bonoso* verba sunt *Adriani Imperatoris*: *Non ut vivat*

Digitized by Google

natus est, sed ut bibat; & jocus communis in ſuſpenſum, *amphoram pendere, non hominem. Maximinus*, teſte *Capitolino*, ſæpiſſime bibit in die *vini amphoram Capitolinam*, quæ *octo* continebat *congios*; *Thagon* plus *orca*, quę vas vinarium eſt *amphora majus*. Epitaphium denique * cujuſdam tale eſt:

Heus, hic ſitus eſt Offellius Buratius Bibalus,
Qui dum vixit, aut bibit, aut minxit.
Abi præceps.

Quantum ad bibonum multitudinem & amorem, notum eſt *Piſonem* propter continuum trinoctii potum donatum eſſe prætura à † Tiberio. *Pomponium Flaccum* provincia Syria, eoſdem jucundiſſimos & omnium horarum amicos codicillis vocatos. Idem ignotiſſimum quæſturæ candidatum, nobiliſſimis antepoſuit, ob ępotam in convivio propinante ſe vini amphoram. Quin eo tempore, quo *lex Fannia* erat promulgata, eo res redierat, * ut *plerique ex plebe Romana vino madidi in comitium venirent, & ebrii de Reip. ſalute conſulerent.* Alias de mulieribus ętiam ſcribit Seneca. *Natural. quæſt.* 4. c. 13: *Non minus pervigilant, non minus potant, & oleo, & mero, viros provocant, æque invitis ingeſta viſceribus, per os reddunt, & vinum omne vomitu remetiuntur, æque nivem rodunt ſolatium ſtomachi æſtuantis.* Vaſa quod concernit, non magnis tantum, & ut *Ammianus*, *l.* 22. loquitur, *gladiis gravioribus* uſi ſunt: ſed & pretioſiſſimis Emblematibuſque inſignitis. Duo hujus generis pocula ab artifice Mentore confecta conſtabant *centum millibus ſeſtertiorum*. † Sed & ex puris gemmis parabantur. Hinc latinus Pacatus. *Niſi luxuria intervertiſſet annum, niſi hyberna poculis roſa innataſſent, niſi æſtivam in gemmis capacibus glaciem falerna fregiſſent.*

* Camer. Cent. 1. c. 94. † Sueton. in Tiber. c. 12. * Macrob. Saturn. l. 2. c. 17. † Plinius lib. 33. cap. 11.

Digitized by Google

sent. Et Cicero 6. in Verrem. Erat etiam vas vinarium ex una gemma pragrandi trulla excavata, cum manubrio aureo: Nec non *Seneca, de benef. l. 7. c. 9. Video isthic Crystallina quorum accendit frugalitas pretium; omnium enim rerum voluptas apud imperitos ipso quo fugare debet periculo, crescit. Video Murrina pocula, parum scilicet luxuria magno fuerit, nisi quod vomant, capacibus gemmis inter se propinarent. Plinius* denique, *l. 37. c. 2. Crescit indies ejus rei luxus, Murrino octoginta sestertiis empto, capaci plane ad sextarios tres calice.* Vnum hujus generis *trecentis sestertiorum millibus* emptum, C. *Petronius* fregisse dicitur, ut mensâ Neronis exhæredaret. Alterum materfamilias non ita dives *centum quinquaginta sestertiorum millibus* emisse scribitur. Quid si & plura dicam? Profecto *Iuvenalis*:

Vitreo bibit ille Priapo.

Et *Plinius: In poculis libidines calare juvat, & per obscanitates bibere.*

Punct. VI. *Immensa fuit Romanorum in cibo incontinentia.*

LVxuriam Romanorum in cibis, quatuor præcipue argumentis, à vasis nimirum, servis, ciboris, & quantitate comestorum ductis, ostendo. Vasa duplicia sunt, mensæ, & patinæ. Mensas habebant argenteas, aureas, & * Aphris erutas serris citreas. *Tullius* unam habebat, quæ *decem millibus sestertiorum* constabat, † Asinius Gallus, quæ *undecim*: imo æstimabatur illud lignum census senatoris, qui erat * *duodecies mille H. S. eo pretiosius quo illud in plures nodos arboris fœlicitas torsit.* Habuit & *Seneca* tales *trecentas*, referente *Dione.* Pedes qui illas sustentabant ex ebore erant, id-

* Plinius lib. 13. cap. 15. † Sueton. oct. v. 42.
* Seneca de benef. lib. 7. cap. 9.

Digitized by Google

que tam neceſſario, ut ſcribat Iuvenalis:

Nil Rhombus, nil dama ſapit, putere videntur
Unguenta atque roſa, latos niſi ſuſtinet orbes
Grande ebur, & magno ſublimis pardus hiatu.

Ad patinas ut tranſeam, habuit unam † *Druſillanus Rotundus* Claudii Imperatoris libertus argenteam *pondo quingentarum librarum*, cui adjectæ octo minores pondo *librarum quindecim*. Vitellius, dum Imperator eſſet, habebat unam quæ *decies H. S.* ſecundum Pudæum, *ducenties* ſecundum *Hotomannum* conſtabat, tam magnam ut *Vitellius* eam *clypeum Minervæ*; Mucianus Vitellium *patinarum paludem* nominaret. Ad ſervorum multitudinem, *Dii boni quantū hominū unus venter exercet*, exclamat *Seneca epiſt. 95.* Erant namque ibi puerorum infelicium greges, quos poſt tranſacta convivia, aliæ cubiculi contumeliæ expectabant. Erant agmina exoletorum, per nationes coloreſque deſcripta, ut eadem omnibus levitas eſſet, eadem primæ menſura lanuginis, eadem ſpecies capillorum, ne quis, cui rectior eſſet coma, criſpulis miſceretur, & ut proceſſum ipſum attingam, ſollicite argentum ordinabant, diligenter exoletorum ſuorum tunicas ſuccingebant, * quam ſuſpenſi eſſent, quomodo aper à coquo cæſus exiret, quanta celeritate, ſigno dato, glabri ad miniſteria decurrerent, quanta arte ſcinderentur oves in fruſta non enormia, quam curioſe infelices pueruli ebriorum ſputa detergerent, diſpiciebant. Quod vero maxime impium eſt; † Tiberius Cæſar Seſtio Gallo libidinoſo ac prodigo ſeni, olim ab Auguſto ignominia notato, & à ſe ante paucos dies apud ſenatum increpito, cœnam ea lege condixit, ne quid ex cōſuetudine immutaret ac demeret; utq; *nudis puel-*

† Plin. lib. 33. cap. 11. * Seneca de vitæ brevitate c. 12.
† Sueton. in Tiberio cap. 42.

Digitized by Google

puellis ministrantibus canaretur. Huc pertinet *cocorum* turba, qui primo unius equi pretio conducti tandem in id fastigium devenere, ut nullus *prope mortalis tum æstimaretur plurii, quam qui pertissime censum Domini mergeret.** Apicius autem inter omnes culinæ scientiam professos celeberrimus est; qui cum sestertium millies in culinam congessisset, cum tot congiaria principum & ingens Capitolii vectigal singulis comessationibus hausisset, ære alieno oppressus, rationes suas tunc primum coactus inspexit. Superfuturum sibi centies sestertium computavit, & velut in ultima fame victurus, si sestertio centies vixisset, veneno vitam finivit. At de cibis ut dicam, & varii illi erant, & precioſi. Eorum enim gulæ angustus erat orbis noster: namque appositas dapes non sapore, sed sumptu æstimantes, † *illis demum cibis acquiescebant, quos extremus Oriens, aut positum extra Romanum Colchus Imperium, aut famosa naufragiis maria misissent,* magis denique illa placebant, quæ pluribus emebantur. Communis ferculorum numerus erat septenarius: sed * Heliogabalus exhibuit aliquando tale convivium, ut haberet *viginti duo fercula* ingentium epularum. In cœna etiam Vitellii fratris adventitia, *duo millia lectissimorum piscium, septem avium apposita traduntur.* Hanc quoque exsuperavit ipse dedicatione magnæ illius patinæ. † In hac enim *scarorum jecinora, phasianorum & pavorum cerebella, linguas phœnicopterorum, murænarum lactes, à Carpathio usque freteque Hispania, per navarchos ac triremes petitarum commisceuit.* His accensere possum *Æsopi Tragici filium* Clodium, furiosæ luxuriæ juvenem. * Hunc namque constat cantu commendabiles aviculas, immanibus emptas precijs, in cœna pro

* Seneca ad Helvidiam c. 10. † Pacat. in paneg. * Lampridius. † Sueton. in Vitel. c. 12. * Valer. l. 9. c. 1.

Digitized by Google

pro ficedulis ponere, acetoque liquatos magnæ ſummæ uniones potionibus aſpergere ſolitum; ampliſſimum ſic patrimonium tanquam amaram aliquam ſarcinam quam celerrime abjicere cupientem. Quid interim dicam de *Caligula*; qui nepotinis ſumptibus omnium prodigorum ingenia ſuperavit, commentus portentoſiſſima genera ciborum atque cœnarum, ut precioſiſſimas margaritas, aceto liquefactas, ſorberet, convivis ex auro panes & opſonia apponeret, *aut frugi hominem eſſe oportere* dictitans, *aut Cæſarem*. Quid proferam de *Aſinio Celere*, qui unum mullum *ſex millibus ſeſtertiis* emit? de *Lucullo*, qui in unam ſubitaneam cœnam, qua Tullium & Pompejum ſeſe, ut quid apponeret viderent, obtrudentes, excepit, † *quinquaginta millia* drachmarum, id eſt 5000 *Coronatorum*, numerante *Budæo*, expoſuit? Quid denique de *Octavio*, qui mullum ingentis formæ (quare autem non pondus adjicio, & aliorum gulam irrito? * *quatuor pondo* & ad Salebram fuiſſe ajebant) *quinque millibus H. S.* emit, & novo exemplo ſcaros in mari tanquam in terra fruges aliquas ſeminavit? Verbo. Fidem omnino iſta excedunt, ſi ex præſenti ſeculo æſtimentur. Præcipue tamen circa piſces & aves Romanorum laſciviebat luxuria. Quantum enim ad illos, ut taceam illud *Iuvenalis*:

——— *Circæis nata forent, an*
Lucrinum ad ſaxum, Rutupinove edita fundo,
Oſtrea, callebat primo deprendere morſu,
Et ſemel aſpecti littus dicebat Echini.

Nec illius apud Ammianum Marcellinum, *li.* 28. *Poſcuntur in conviviis aliquoties trutinæ, ut appoſiti piſces & volucres ponderentur, & glires quorum ſæpius magnitudo delicata, non ſine tædio præſentium ut antehac*

† Seneca ep. 95. * Macrob. Saturn. l. 3. c. 16.

Digitized by Google

hac inusitata, laudatur assidue, maxime cum hac eadem numerantes notarii prope triginta adsistant, cum thecis & pugillaribus, mentionem faciam; parum videbatur recens mullus, nisi qui in convivæ manu moreretur. † Ideo in cubili natabant pisces, & sub ipsa mensa capiebantur, qui statim transferrentur in mensam. * Accipenser in convivio Severi à coronatis ministris à Tibicine introferrebatur, quasi quædam non deliciarum, sed numinis pompa. Circa piscinas etiam tanta erat curiositas, ut difficulter explicari possit. Spectabantur in piscinis Cæsaris genera piscium ad nomen venire. † Hirtius vendidit suam villam piscinis excultam 40000 sestertiorum. Cato tutor Luculli pisces ex ejus piscinis totidem, & si illud Columellæ precium de piscinis sumendum est, 400000 fuisse scribitur, *lib. 8. c. 16.* Circa aves quamvis paulo minus exquisiti fuerint: tamen fuere etiam satis luxurioli. * Tempore Favorini præfecti popinæ atque luxuriæ negabant cœnam lautam esse, nisi quum libentissime edebant, tum auferretur, & alia esca melior atque amplior succenturiaretur. Is tum flos cœnæ habebatur inter istos, quibus sumptus & fastidiū pro facetiis procedebat: qui negabant ullam avem præter ficedulam comesse oportere: cæterarum avium atque altilium, nisi tantum apponeretur, ut à cluniculis inferiori parte saturi fierent, convivium putabant inopia sordere: superiorem partem avium atque altilium qui edebant eos palatum non habere. Maxime autem delectabantur, Phœnicopteris, pavonibus, turdis & columbis. Hinc factum, ut & greges alerent quarundam ex his, & summum iisdem ponerent precium. Ex pavonibus, referente Varrone, *l. 3. cap. 6.*

† Seneca Natur. quæst. lib. 3. c. 17. * Macrob. Satur. 3. 16.
† Varro de re rustica 3. 17. * Gell. lib. 13. c. 8.

Digitized by Google

cap. 6. Aufidius ſupra ſexagena millia nummûm in anno capiebat. Quinque millia turdorum væniebant denariis ternis, ut ſexaginta millia ea pars redderet uno anno villæ. Et quantum ad columbas, paria ſingula tempore † Varronis millibus ſingulis ſeſtertiorum ſolebant vænire, Columellæ diebus inveniebantur, qui quaternis millibus nummûm binas aves mercarentur. *Quantitatem comeſtorum* quod ſpectat, * Maximinus interdum quadraginta libras carnis, uno die. *Cordus* ait ſexaginta, abſumſit. *Claudius Albinus* comedit quantum ratio humana non patitur. *Nam & quingentas ficus paſſarias, quas Graci Calliſtruthias vocant, jejunum comediſſe Cordus dicit, & centum Perſica Campana, & melones Oſtienſes decem, & uvarum Levicarum pondo viginti, & ficedulas centum, & oſtrea quadraginta.* † *Thago* denique, de quo ſuperius, *aprum integrum, centum panes, vervecem, & porcellum in prandio unico devoravit.* Plura non addo, quamvis de pane & condituris poſſem, ne nimium prolixus videar. Coronidis loco obſervari poteſt, luxuriæ hoc vitium vires cum imperio ſumſiſſe. Nam tempore belli Punici II. *non poſſe ſalvam urbem eſſe, in qua piſcis pluris quam bos* væniret, conqueſtus eſt *Cato*, tempore vero ſuo *tres mullos triginta millibus nummûm* vænifſe Tiberius. *Sueton. in Tiber. c.* 34.

Punct. VII. *Immenſa fuit Romanorûm in ædificando luxuria.*

LVxuriam in ædificando partim publica ædificia, partim privata teſtantur. Intra publica tranſeuntia, primo ſe offerunt, quorum exceſſus ſtupendus vel *Marci Sauri* Amphitheatrum, & *Caligulæ* pons demõſtrare ſufficienter poſſunt. Tempora-

† Lib. 3. c. 2. * Capitolinus. † Voſpiſcus in Aureliano.

Digitized by Google

porarium illud erat, & vix uno menſe futurum in uſu; attamen tres contignationes habebat, in quibus trecentæ & ſexaginta marmoreæ columnæ. † Infima theatri pars tota erat marmorea, media vitrea, ſuprema deaurata. Inferiores columnæ quadraginta pedum erant in longitudine, & inter eas tria millia ærearum ſtatuarum. Totius Theatri capacitas tanta, ut octoginta millia hominum caperet. * *Caligula* Bajarum medium intervallum Puteolanas ad moles trium millium & ſexcentorum fere paſſuum ponte conjunxit, contractis undique onerariis navibus, & ordine duplici ad anchoras collocatis, ſuperjectoque aggere terreno, ac directo in Appię viæ formam. Per hunc pontem ultro citro commeavit, biduo continenti. Primo diè phalerato equo, inſigniſque quercica corona, & ſecuri, & cetra, & gladio, aureaque chlamyde. Poſtridie quadrigario habitu, curriculoque bijugi famoſorum equorum, præ ſe ferens Dariũ puerum ex Parthorum obſidibus: comitante prætorianorum agmine, & in eſſedis cohorte amicorum. Eo igitur fine videtur ſtructum illud opus, ut deſtrueretur. *Caracalla* etiã ubicunque hyematurus erat aut putabatur, cogebantur amphitheatra & circos ſtruere, & ea ipſa mox diruenda. Inter promanentia ſufficiet ſolius Titi Amphitheatri feciſſe mentionem. † Ejus enim *ſummitatem agre viſo humana conſcendere potuit*, divitiarumque profuſo flumine extructum fuiſſe dicitur. Ideo Martialis:

Omnis Cæſareo cedat labor Amphitheatro,
Unum pro cunctis fama loquatur opus.

Quamvis autem immenſas tam ſuperba ædificia exhauſerint divitias: tamen, ſi apparatum reſpexerimus, nec non ea quæ exhibebantur, videbimus vel magnis urbibus ſuffecturas opes illis fuiſſe impen-

† Plin. l. 36. c. 15. * Suet. in Calig. c. 19. † Ammian.

Digitized by Google

impensas. Magistratum in theatris, mimis, athletis, gladiatoribus, aliisque hujusmodi generibus hominum totum patrimonium suum prodegisse, ut unius horæ favorem vulgi acquireret. Verbo. Materiam superavit opus. *Nero* ut divitias suas Thiridati Armeniorum Regi ostenderet, totum theatrum auro contexit, ipsæque cortinæ suspensæ ex purpura erant aureis incrustata stellis. Ex quo & dies ille *aureus* apellatus, & à *Lucretio* alsusum:

Et vulgo faciunt id lutea rufaque vela,
Et ferruginea cum magnis intenta Theatris,
Per malos vulgata trabesque trementia pendent.

† *Caligula* etiam cum Circenses quosdam præcipuos ederet, minio & chrysocolla circum consterni jussit. * *Probus* solvi una vice mille struthiocamelos, mille cervos, totidem ursos, mille damas, cum rupicapris & aliis plurimis bestiis imperavit, illasque misericordiæ populi in circo exposuit, & liberum erat, quod quis posset interficere. Superpondii autem loco, sequenti die centum jubatos leones, centum Lybicos leopardos, totidem Syros centum lænas, & trecentos ursos produxit. Nec aliter *Titus* quamvis deliciæ humani generis. Nam hic *Martialis*:

Quicquid in Orpheo Rhodope spectasse theatro
Dicitur, exhibuit Cæsar Arena tibi,
Repserunt scopuli, mirandaque sylva cucurrit,
Quale fuisse nemus creditur Hesperidum.

Sed omnium furiosissimus † *Heliogabalus*. Fertur enim *in Euripis vino pleni naves Circenses exhibuisse*. Non multum tamen & ab hoc distat *Carinus*. De illius namque ludis, sic *Calphurnius*,

Nec solum nobis sylvestria cernere monstra
Contigit aquoreos ego cum certantibus ursis.

Spe-

† Sueton. in Calig. c. 18. * Vopiscus in Proba. † Lampridius.

Digitized by Google

Spectavi vitulos, & equorum nomine dignum,
Sed deforme pecus.

Nil interim dicam de missilibus, quæ sparsa sub † *Nerone* populo omnium rerum per omnes dies singula quotidie millia. Avium cujusque generis multiplex penus, tesseræ frumentariæ, vestis, aurum, argentum, gemmæ, margaritæ, tabulę pictæ, mancipia, jumenta, atque etiam mansuetæ feræ: novissime naves, insulæ, agri. Quod si privatos etiam id feciſſe, *Milonem* tria ludicris absumsisse patrimonia, * *Iunium Maſſalam* scenicis suum dedisse, hæredibus denegavisse, addidero, nonne insania apparebit omnibus? *Hæc quidem idcirco in literas missi*, (inquit Vopiscus) *de isto, ut futuros editores pudor tangeret, ne patrimonia sua proscriptis legitimis hæredibus, mimis & balatronibus, deputarent.* Quod de theatris dictum est, idem de balneis & templis dici potest. Quamvis enim illa, nihil aliud, non tantum *Artemidori* ævo, sed & alio fuerint, quam *transitus ad Cænam*: tamen & infinitus eorum erat numerus, & superflua nimis ornamenta. *Agrippa* † in Ædilitate sua centũ septuaginta exstruxit. Suo tempore scribit *Plinius l.* 16. fuisse infinita, *Cassiodorus* * mirabili magnitudine, *Ammianus* in modum provincialium exædificata. *Diocletiana* sellas mille sexcentas, easq; è marmore polito factas, continebant. Ornamenta superflua fuisse ex epistola 86 *Senecæ* patet. Cum enim Scipionis Africani balneum descripsisset, in hæc verba prorumpit. *At nunc quis est, qui sic lavari sustineat? Pauper sibi videtur ac sordidus, nisi parietes magnis & pretiosis orbibus prafulserint, nisi Alexandrina marmora Numidicis crustis distincta sint, nisi illis undiq; operosa, & in picturæ modum variata circumlitio pratexatur, nisi vitro condatur Camera, nisi Thasius lapis quen-*

† Sueton. in Nerone c. 11.
* Vopiscus Carino. † Lib. 36. * Olympiad. in Excerptis.

Digitized by Google

quondam rarum in aliquo ſpectaculum templo, piſcinas noſtras circumdederit, niſi aquam argentea epiſtomia fuderint, & adhuc plebeias ſiſtulas loquor. Quid cum ad balnea libertinorum pervenero? quantum ſtatuarum? quantum Columnarum & nihil ſuſtinentium, ſed in ornamentum poſitarum & impenſæ cauſa? Eo deliciarum venimus, ut niſi gemmas calcare nolimus. Addit etiam *Roſinus, in antiqu. Rom.* parietes odoratiſſimis balſamis inunctos, & oleis fragrantiſſimis aſperſos fuiſſe. Templa Romæ *quadringenta viginti unum* erant, illaque fere omnia ex molibus marmoreis ſtructa, laquearibus aureis renitentia, in quibus ſplendebant gemmæ, & ſyderios evomebant variata interſtitione fulgores. † *Auguſtus* in ſolam ſedem Iovis in Capitolio poſitam, ſedecim millia pondo auri, & quingenties ſeſtertium in gemmis impendit. *Domitianus* vero Capitolium ipſum ita exornavit, ut *Martialis* exiſtimet,

Grandis in ætherea licet auctio ſiat Olympo,
Coganturque Dii vendere quicquid habent;

Non poſſe tamen tantum beneficium ab iiſdem perſolvi,

Expectes & ſuſtineas (addit) *Auguſta neceſſe eſt,*
Nam tibi quod ſolvat non habet arca Iovis.

Et certe in deaurando illo ſupra duodecim talentorum millia inſumpta ſunt, & janua laminis aureis obducta uſque ad *Honorii* tempora erat. Nec tamen multum huic ceſſit templum pacis à *Veſpaſiano* erectum. Nam illud *Herodianus* non tantum maximum & pulcherrimum omnium in urbe operum, ſed & ditiſſimum, ornamentis auri & argenti excultum fuiſſe ſcribit. *Ioſephus lib. 7. Excidii* vero ait: *Omnia in hoc templum collata & diſpoſita ſunt, ob quæ homines videndi cupiditate antea per totum orbem vagabantur. Plinius* denique *l. 34. c. 8.* dicit: *Ex omni-*

† Dio. 55.

Digitized by Google

omnibus quæ retuli clarissima quaque in urbe jam sunt dicata à Vespasiano Principe in templo pacis. Quia vero per statuas æternitati se commendari posse existimabant, affectabant etiam eâsdem, sed ita ut & in eis incontinentiam patefacerent. Eo enim tandē ambitionis ascendere, ut hæc *pene parem urbi populum dederit, quam natura procreavit.* † Non tantum auro erant inbracteatæ, sed & argenteæ, imo aureæ. Domitianus sibi in Capitolio nonnisi aureas, argenteasque poni permisit, ac ponderis certi.* *Cōmodus* autem statuam mille librarū aureā habuit. Illud pondus *Statius* tangere videtur, dum dicit:

Da Capitolinis æternum sedibus aurum,
Quo niteant sacri centeno pondere vultus.

Et tantum de publicis. Luxuriam in privatis, duo præcipue ostendunt. † *Ædificia* & *Supellex.* Illa laxitatem urbium magnarum vincebant. * Anguste se habitare putabant, quorum domus tantum patebant, quantum Cincinnati rura patuerunt. † In summis multarum turribus pomaria ferebantur, in plurimarum tectis ac fastigiis sylvæ nutrabant, inde ortis radicibus quo improba cacumina egissent. * Ingentium maculæ columnarum, sive ex Ægyptiis arenis, sive ex Africæ solitudinibus advectæ, porticum vel capacem populi cœnationem ferebant; quarum si numerum quæres, audet *Martialis* dicere:

At tua centenis incumbunt tecta columnis.

Si precium, audet *Crassus* scribere, † *Decem columnas centum millibus nummûm emi*, Quin domus à *Gordiano* exstructa, ducentas columnas uno perystilo habebat. Auratæ erant trabes, imo

Crassa

† Cassiod. lib. 7. * Dio. † Seneca de benef. 7. 10.
* Valer. lib. 4. cap. 6. † Seneca Epist. 122. * Seneca Epist. 115.
† Valerius. * Capitol. in Gordiano.

Digitized by Google

——*Crassa laquearia fulta metallo,*

Cubicula & vasa similiter insurabantur. † Versatilia Cœnationum laquearia ita coagmentabant, ut subinde alia facies, atque alia succederet, & toties tecta, quoties fercula mutarentur.

Non loquar inclusas inter laquearia sylvas,
Vernula qua vario carmine ludit avis.

Oppressit in triclinijs parasitos suos violis & floribus * *Heliogabalus*, sic ut animam aliqui efflaverint, cum eripi ad summam non possent. Sed inprimis *Domitianus*, *Nero* & *Caligula* in ædificiorum structura insanivere. De illo enim *Plutarchus* sic scribit: *Quod si quis hunc Capitolii magnificum instructum miretur, idem si Domitiani in aula unam porticum, vel basilicam, vel balneum, vel pollicum dictam viderit, exclamet cum Epicharmo, cap. 31.*

Non liberalis aut benignus tu clues,
Profusione gaudes.

Neronis domum auream sic depingit Suetonius: *Vestibulum ejus fuit in quo Colossus centum viginti pedum staret ipsius effigie, tanta laxitas, ut porticus triplices milliarias haberet. Item stagnum maris instar circumseptum ædificiis ad urbium speciem. Rura insuper arvis atque vinetis & pascuis sylvisque varia, cum multitudine omnis generis pecudum ac ferarum, in cæteris partibus cuncta auro lita, distincta gemmis, unionumque conchis erant. Cœnationes laqueata tabulis eburneis versatilibus ut flores, & fistulatis ut unguenta desuper spargerentur, præcipua Cœnationum rotunda qua perpetuo diebus ac noctibus vice mundi circumageretur: Ejusmodi domum cum absolutam dedicaret hactenus comprobavit, ut se diceret, tanquam hominem tandem habitare cœpisse.* De *Caligula* sic idem *cap. 37. Fabricavit idem & de Cydris liburnicas gemmatis puppibus, versicoloribus velis, magna thermarum, & porticuum, & tricliniorum laxitate, magnaque etiam vitium & pomiferarum ar-*

† Seneca Epist. 90. * Lampridius.

borum

Digitized by Google

berum varietate : quibus discumbens de die inter choros ac symphonias littora Campania peragraret. In exstructionibus Prætoriorum atque villarum omni ratione postbabita, nihil tam efficere concupiscebat, quam quod posse effici negaretur, & jacta itaque moles infesto ac profundo mari, excisa rupes durissimi silicis, & campi montibus aggere aquati, & complanata fossuris montium juga, incredibile celeritate, cum mora culpa capite lueretur. †Quantum ad supellectilem dixisse sufficiet, in aureo lecto *Cæsarem* decubuisse;* *Heliogabalum* nō tantum auream carucam gemmis investitam habuisse, sed & in myrrhinis & onichinis urinam deposuisse, † *Antonium* in contumeliam naturæ vilitatem auro fecisse, opus proscriptione dignum. Ventris denique onus *Bassam* auro excepisse. Alias certum est Candelabra pro quadringentis millibus nummis empta interdum fuisse: nec dubium *Horatium* speculato cubiculo scorta disposita habuisse. De Tiberio certe Suetonius *c.* 43. *cubicula plurifariam disposita tabellis ac sigillis lasciviss imarum picturarum ac figurarum adornavit.*

Punct. VIII. *Immensa fuit Romanorum in vestitu luxuria.*

LVxuriam in vestitu duplici argumento ostendo; cultutæ nimirum corporis, & ipsius amictus. Illa tam curiosa fuit, ut *Seneca natur. quæst. 7. c.* 31. scribat; *Adhuc quicquid est boni moris extinguimus levitate & politura corporum, muliebres munditias anteceßimus, colores meretricios matronis quidem non induendos viri sumimus, tenero & molli ingressu suspendimus gradum, non ambulamus, sed repimus.* Et certe Iulius Cæsar non solum tondebatur diligenter ac radebatur, sed vellebatur etiam ut quidam exprobravere. *Nero circa cultum habitumque adeo

F puden-

‡ Plin. l. 33. c 11.
* Lamprid. † Plin. l. 33. c. 3. * Plin. l. 33. c. 11. † Sueton. c. 45.

Digitized by Google

pudendus, ut comam semper in gradus formam, peregrinatione Achaica etiam pone verticem summitteret. Ottonem vero faciem quotidie radere, ac pane madido linire consuetum, idem *Suetonius c. 51. refert*, idque instituisse à prima lanugine ne barbarus unquam esset. Vestitum quod spectat, Hortensius capitale putavit, quod in hortensio suo locum ruga mutasset Lucullus, *Horat. Ep. 9.*

Sibi millia quinque,
Esse domi chlamydum,

Affirmavit. Communis consuetudo fuit, aliquoties in die vestimenta mutare; nec ipse Nero unquam bis in una veste visus est. Lacerna decem millibus sestertiorum emebatur.* *Nonnius* annulum unum habuit sestertiis viginti millibus æstimatum; Mos apud omnes exornare annulis digitos, & in omni articulo disponere gemmam. Charinus omnibus digitis senos gessit, nec nocte etiam eos seposuit. Imo invenisse luxuriam annulos alios æstivos, alios hybernos dicit *Probus*. Et hoc inter omnes promiscue, Mulieres habebant vestes sericas, † si vestes vocandæ, in quibus nil erat, quo defendi, aut corpus, aut denique pudor posset, quibus sumtis mulier parum liquido nudam se non esse juraret. Comptura & vestitus *Lollia Paulinæ* Caligulæ uxoris, illaque in mediocribus interdum conviviis, quadringentis millibus sestertiorum æstimabatur: *Hieronymus in vita Pauli Erem.* uno filo unionum, villarum insuisse pretia scribit; *Tertullianus de habitu muliebri c. 9.* uno limo decies sestertium inseri, & saltus atque insulas teneram cervicem ferre.* *Julius Cæsar*, unam margaritam pro matre Bruti Servilia emtam, sexagies sestertio mercatus est. Quod si multitudinem spectes, *Video uniones*, (inquit Seneca *de benef. 7. c. 9.*) *non singulos singulis auribus comparatos: jam enim exercitatæ*

* Plin. l. 37. 16. † Seneca de benef. 7. c. 9. * Sueton. c. 59.

Digitized by Google

citata aures oneri ferendo sunt. Iunguntur inter se, & insuper alii bini supponuntur. Non satis muliebris insania viros subjecerat, nisi bina ac terna patrimonia auribus singulis pependissent. Si locum inquiras. *Quin & pedibus*, inquit *l. 2. c. 35 Tertullianus, nec crepidarum tantum obstragulis, sed totis soculis addunt: neque enim gestare jam margaritas, nisi calc nt, ac per uniones etiam ambulent, fatu est.* Specula denique si attendamus, pluris unum interdum constitit, quam antiquarum dos fuit, illa quæ publice dabatur Imperatorum pauperum filiabus. † Imo libertinorum virgunculis in unum speculum non sufficit illa dos, quam dedit Populus Romanus filiæ Scipionis. Erat autem undecem millia æris. De cætero & servorum interdum decem, imo viginti millia numerabantur, non quæstus causa ut ille Græcorum ditissimus Nicias, sed plerique in publico comitantes. Et tantum de luxuria Romanorum quam sufficientissime *CL. Meursius* & Nobil. *Kobierzycki* descripsere. Haud pauciora de arrogantia, jactatione, adulatione & ingratitudine dici possent. Nam & urbem Romam *Deam* vocavere, & suos Imperatores inter *Divos* retulere, & optime de Rep. meritos, ut *Camillum, Scipionem* &c. expulere. *Quinque Cornelii totidem sunt notissima ingratæ patriæ exempla.* Sed quia horum vitiorum passim apud Authores exstant exempla, nec nostro ævo desunt quæ opponantur, omitto.

Punct. IX. *Iustitia, prudentia & fortitudo Romanorum nulla fuit.*

EXistimant tamen multi, Romanos aliis nationibus justitia, prudentia, & fortitudine palmã præripuisse. Sed falluntur. Nam si has junctim spectemus, vinculo quodam junctæ sunt sibi omnes

† Seneca Natur. quæst. lib. 1. cap. 17.

Digitized by Google

nes virtutes, ita ut qui unam habeat, nec cæteris destituatur. At multa Romanorum vitia jã abundanter ostendimus. Quod si divisim sumantur, nulla Romanis vere attribui poterit. *Non justitia.* † Quomodo enim sanguine abstinebunt, qui colunt cruentos Deos Martem & Bellonam? quomodo aut parentibus parcent, qui expulsorem patris sui Iovem, aut natis ex se infantibus, non parcentem colunt Saturnum? quomodo pudicitiã tuebuntur, qui colunt Deam nudam & adulterã, & quasi apud Deos prostitutam? quomodo se à rapinis aut fraudibus abstinebunt, qui Mercurii furta noverunt, docentis non fraudis esse decipere sed astutię? quomodo libidines coërcebunt, qui Iovem, Herculem, Liberum, Apollinem, cæterosque venerantur, quorum adulteria & stupra, in mares & fœminas non tantum doctis nota sunt, sed exprimuntur etiam in Theatris, atque cantantur, ut sint omnibus notiora? Possuntne inter hæc justi esse homines, qui etiam natura sint boni ab ipsis tamen Diis erudiantur ad injustitiam? Ad placandum enim Deum quem colas, iis rebus opus est, quibus eum gaudere ac delectari scias, sic fit, ut vitam colentium, Deus pro qualitate numinis sui formet: quoniam religiosissimus cultus est imitari. Quantum ad *prudentiam*, audeo palam cũ Generosiss. Domino *Andrea Rey de Consil. & consultatione*, dicere. *Si consilia Romanorum, qualia partim à Livio, partim à Dione, & aliis gravissimis historicis descripta sunt, conferantur cum iis, quæ ab annis centum in Hispania, Italia, hujus parte Rep. Veneta, Gallia, Germania, Anglia, Polonia, aliisque regnis sive ad pacem sive ad bellum inventa susceptaque, à Comineo, Guicciardino, Sleidano, recentioribus item Gallica Historia authoribus, Meterano, itemque aliis ex parte notantur; fatendum erit ætatem hanc inveniendi prompto acumine, & judicandi exquisita dexteritate, antiquitatem non tantum*

† Lactant. instit. l. 5. c. 20.

amu-

amuleri, sed & superare. Nec profecto capere possum, quomodo illi fuerint prudentes, qui Reimp. viris egregiis, per gladiatoria spectacula, spoliabant, immensos sumptus in res nihili profundebant, & omnifariam crudelitatem, tum in suos, tum in alienos, exercebant. Quantum ad *Fortitudinem*, sicut Martyrem non pœna, sic fortem non pugna, sed causa facit. Remota justitia, nil sunt regna, nisi magna latrocinia. Unde piratæ, ab Alexandro interrogati quo jure id facerent, respondere: Eodem quo ille; & *Poëta* eundem vocat

Terrarum fatale malum, fulmenque quod omnes
Percussere populos, pariterque & fœdus iniquum
Gentibus.

Idem Romanis applicari potest. Nam ut omittam *Mithridatem* & *Galgacum* Romanorũ hostes; quorum ille in Epistola ad Arsacem, *Romani arma in omnes habent, in eos acerrima, quibus victis, spolia maxima sunt,* scribit; hic ad suos, *Raptores orbis postquam cuncta vastantibus defuere terra, mare scrutantur: si locuples est hostis avari, si pauper ambitiosi, quos non oriens non occidens satiaverit,* † dicit; bellum contra Carthaginenses, primum propter Mamertinos susceptũ injustum fere fuisse, certum est. Nec enim cumulus homicidiorum fœlici actu, civilis societatis nomen sortiri potest, ut fœdus faciat. Idem postea in Sardinia factum, cum mille ducenta talenta Carthaginenses persolvere coacti fuissent. Præterea, si nõ minus fortes ex eo appellamur, quod res molestas atque asperas fortiter ferimus, nostri Martyres poterunt præponi Romanis. Nam, (ut de viris taceam, pueri & mulierculæ tortores suos taciti vincebant, & expromere illis gemitum nec ignis poterat. Et de *Dorotheo* Eusebius *l. 8. c. 6. Ex omnibus qui unquam vel apud Græcos, vel apud Barbaros, propter animi magnitudinem illustres, & hominum sermone celebrati sunt, nullus cum divinis & eximiis nostri temporis*

† Tacitus in vita Agricol.

temporis Martyribus, Dorotheo, & ſuis ſodalibus Imperatorum miniſtris comparari poteſt. Quod ſi patriæ defenſio objiciatur, adſunt præſto *Caletenſium* ſub *Philippo Valeſio*, *Belgarum* & aliorum exempla, qui ſe in patriæ devovere commodum. Alias ſi *Britannorum*, *Gallorum*, *Germanorum*, *Pyrrhi* & *Carthaginenſium* contra eoſdem acta recoluerimus, videbimus in paucis inferiores fuiſſe. Qui Britannorum exactam cum Romanis comparationem voluerit, *Rhalegum* in Hiſtoria mundi *l.5.p.1.c.1.* § 1. conſulat. De cætero, & unio in virtute ſi attendatur, certiſſimum eſt, nullum apud Romanos vel Græcos amicitiæ extare exemplum, quod *Marci Tarviſani* & *Nicolai Barbadici* Patriciorum Venetorum comparari poſſit. Deſcripſit eam *Alexander de Gætis*, argumento Hiſtorico præfixo.

Punct. X *et ultimum. Probabile eſt ſecundum quoſdam futuram adhuc in majori flore in terris Eccleſiam, quam unquam antehac fuit.*

QVamvis autem ſe res ita, ut demonſtravimus, habeat: objiciuntur tamen haud pauca ſcripturæ loca, quæ contrarium velle de ultimis temporibus explicite videntur. Et certe expreſſe apud *Mathæum cap.24.12. Quoniam multiplicata erit iniquitas; charitas refrigeſcet multorum.* apud *Lucam, c.18.8. Filius hominis quum venerit, num reperturus eſt fidem in terra?* apud *Paulum: 1. Tim 4. v.1. Spiritus diſerte dicit, fore ut poſterioribus temporibus deſciſcant quidam à fide, v.17. Improbi homines procedent in pejus, tum ſeductores, tum ſeducti;* apud *Petrum: 2. Epiſt. c.3. Venturi ſunt ultimis diebus irriſores, in ſuis ipſorum cupiditatibus incedentes, &c.* Sed nec hæc tanti ſunt, ut ſententiam noſtram evertant, reſponderique ad ea tum *Generaliter*, tum *Specialiter* poteſt. *Generaliter.* 1. Quia, etſi verum eſſet

Digitized by Google

eſſet circa finem mundi mores ruituros in pejus: non ſequitur tamen inde univerſalem & perpetuam fuiſſe illam ruinam. II. Non poteſt concipi quomodo Iudæorum & gentium expectanda ſit converſio, & nihilominus major morum corruptela. III. Vltimi dies non videntur ſumendi pro illis qui viciniores Chriſti adventui, ſed pro toto tempore, inter primum & ſecundum adventum intercedente. Sic apud *Eſaiam c. 2. 2. Erit igitur ultimis temporibus ubi conſtitutus fuerit mons domus Iehova in vertice aliorum montium & elatus ſupra colles; ut confluant ad eum omnes gentes.* Homo eſt parvus mundus, ut illius in plurima interſtitia diſpeſcitur ætas, ſic mundi in diverſas periodos. Quemadmodum igitur ſola ſenectus poteſt interdum duratione præteritas adæquare periodos; ſic & ultima tempora. Nec mirum id videri debet. Nam tempus *à Iobi reſtitutione ad mortem decurrens, ultimorum dierum inſignitur titulo, quamvis centum quadraginta complectatur annos. IV. Quin ultimi dies pro poſterioribus ſumi poſſunt. Vnde quod *Ioel. c. 2. v. 28.* de prophetiis, *Eritque poſtea*, dicit; id *Petrus* in *Actis Apoſtolorum, c. 2. v. 17.* per *Erit ultimis temporibus*, effert. Evidentiſſime vero id in *Iacobi* prophetia mortem antecedente apparet. Nam ille dicturum ſe filiis pollicetur, quid ultimis temporibus ſit futurum. At inter illa tempora ſceptri Iudaici ablationem, & Schilonis ponit adventum. Non tantum igitur poſteriora tempora hic intelligi debere videntur, ſed etiam, ut *vir doctus in Epiſtolam Iudæ* explicat, regnum Chriſti. Et hoc in genere. *In ſpecie.* I. Prædictio Divi Pauli de prohibitione matrimonii, &c. in *Euſtatio, Tatianis, Marcioniſtis, Manichæis, Catharis & Montaniſtis* eſt impleta. Eadem alterius ratio. Nec enim ætatem ſuam cum noſtra comparat, ſed potius, qualis futura ſit regni Chriſti conditio

*Iob. 42. v. 12. 16.

Digitized by Google

ditio, docet. Nec incrementum illud sequitur, cum successu temporis conjunctum, quicquam ad universalem & perpetuam naturæ ruinam. Nam quibusdam deficientibus ad malum, bono nonnulli agglutinantur. *Et* ipse *Paulus* ait, *Viturus non processuros, sed ipsorum stultitiam manifestum futuram omnibus.* II. Prophetia *Petri*, jam tempore *Iudæ* eventum suum sortita est. Hinc *Iudæ vers.* 9, fere iisdem verbis utitur, & differentia in eo tantum est, quod ille prædicit, iste ostendit. III. Christi prædictiones de Christianæ religionis persecutione, & eversione Hierosolymitanæ urbis sumendæ sunt. Et in hunc sensum, *Maldonatus* & *Aretius* verba *Pauli* 2. *Tim.* 4. *v.* 6. adducunt. Illa quæ apud *Lucam*, nil aliud significant, quam à Christi ad cœlos ascensione usque ad reditum futuros homines passim incredulos, explicant *Theologi*. Et *Iansenius* dicit. *Non tantum significari paucitatem & defectum fidei in hominibus qui vivi reperientur in novissimo die, sed etiam in hominibus cujuslibet temporis.* De Adventu *Antichristi* etiam quædam adferuntur, sed videri de hac materia potest *Vvhitakerus*, *Daunæus* & alii. Certissimum est argumentum remotio obstantis, seu Romani imperii eversio, quam jam factam, ipsi Pontificii, *Thomas* nempe, *Lyra*, *Ribera*, & *Salmeron* concedunt. Quis in ejus locum successerit, *Pasquier*, *Machiavellus* & *Sigonius* ostendunt, sed luculentissime omnium *Lipsius*, cujus memorabilia verba hæc sunt, * *Mira Dei benignitas in hanc urbem, cum legionum vim eripuit, Legum attribuit, cum armis imperare noluit, sacris indulsit. Et sic quoque fecit eam decus, tutelam, columen rerum. Atqui senatus ille vetus non est, inquiunt? Non ille, sed alius, & vide in ista purpura ex omni nostro orbe selectos proceres moribus, prudentia, armis spectandos. Si vetus ille Cyneas redeat, & hunc consessum videat,*

* In Memor Fran. l. 1. Hist. Flor. l. 3. de regno Ital. l. 4.

at, nihil ambigat, vel cum Regibus iterum vel cum heroibus comparare. Quid tributa? non tam multa, sed magis innoxia & ultronea sunt. Quid legationes gentium? nec ea desunt, & ex noto ignotoque orbe (tanta diffusio majestatis hujus est) concurritur, & jura ac leges sacrorum hinc petunt, ipsi Reges ac Principes adeunt & inclinantur, & obnoxia capita uni huic capiti submittunt. Quemadmodum autem nullum dubium est, non tantum veniſſe jam Antichriſtum, ſed & eundem mundo revelatum eſſe; ſic videntur, ſecundum quoſdam pios interpretes, haud pauca ſcripturæ loca, ruinæ illius propinquitatem; quam ſubſecuturam ajunt pacem Eccleſiæ talem, qualis nunquam antehac fuit, innuere. Huic paci quidam *pleniorem gentium & Iudaorum converſionem, cui reditum in terram Canaan Nobiliſſ. D. Makovius Patria ſua apud exteros lumen* adjungit; *omnium per Eliam reſtitutionem, perſecutionum externarum, Hareſium, & improbitatis ceſſationem* includunt, quidam eidem *Martyrum reſurrectionem; & in terris cum Chriſto per mille annos regnum* adſcribunt. Illius ſententiæ ſunt tum *Carolus Gallus* Leydenſis Academiæ olim profeſſor, in *Clave prophetica nova Apocalypſeos*, in quo opere per viginti quinque annos, legendo, meditando, indagando, ſcribendo, diſſerendo ſe deſudaſſe fatetur, tum *Georgius Hawkvvill in Apologia providentia divina*, ex qua iſtud opuſculum maxima parte excerpſimus, tum *Mathias Martinus* p.m. in Epiſtola reſponſoria ad meas literas quibus ejus ſententiam de hac materia anno 1628. exquiſivi. Hujus ſunt *Alſtedius* & *Piſcator*. Hic tamen regnum illud Cœlis affigit. Ille non tantum terris vendicat, ſed etiam millenarii initium circa annum 1694. ponit. Videtur & *Carolus Gallus in Diatriba & Chronol.* iis accedere: Nam *obſer. octava* ſuper 20. *caput* Apocalypſeos hæc ſcribit. *Breviter, Spiritus propheticus in hac Iohannis Apocalypſi vati-*

Digitized by Google

vaticinatur de singulari adeoque miranda Ecclesiæ resurrectione, renovatione ac restitutione, quod nimirum illa, hac novissima ætate, ex Iudæis ac gentibus, vivis ac mortuis conspicua erit, & mirum in modum gloriosius quam unquam antea, ex mortuis vel prima morte revivisset, imo vabitur, restaurabitur & reflorescet. De argumentis si quæris, desumpta sunt partim à certitudine conversionis Iudæorum & gentium, partim ex locis quibusdam pacem expresse promittentibus, partim ex prophetia mille annorum capite vigesimo Apocalypseos descripta, nondum impleta. Quamvis autem ista materia utpote ænigmatica ante eventum decidi nequeat, nec quamvis possit, meatum id sit virium, quin nec hujus loci: tamen I. *Videtur verissimum esse, plenorum gentium & Iudæorum conversionem futuram,* ut firmissime *Keplerus in stell. Serpent.* & *Iustus Heurnius, de legat. Euang. ad Indos.* ex sacro Codice demonstravere. Post Antichristi vero ruinam, non tantum obstans idololatriæ, sed & res ipsa loquitur, ne dicam de obsignatione Diaboli, quæ demum post conjectionem Pseudoprophetæ & bestiæ in lacũ facta scribitur. II. *Nullus articulus fidei violaretur, quamvis statueremus reditum Eliæ, & Iudæorum in terram Cananæam reductionem.* Id enim quod de restitutione omnium per *Eliã* apud Euangelistam dicitur, Iohanni Baptistæ Christus non adscripsit: nec id quod apud Malachiam illi adscribitur, huic convenit, ne dicã adventum primum Christi non horribilem sed lætum fuisse. Promissum Israëlitis *Deut. 30.* factum nimis illustre est; nondum impletum vel Israelitarum non reducta *dispersio*, testis est. III. *Verisimile est insignem Antichristi ruinam esse pro scribus.* Cum enim evidens sit, Apocalypticam Historiam tres Ecclesiæ periodos nobis describere, quarum unaquæque septem septuaginta annis circumscribitur, exindeq; certo consequatur, denunciationẽ

Digitized by Google

ruinæ

ruinæ Babylonis circa Caroli V. tempora accidisse, nec quicquam amplius de restitutione illius scribatur; quin moderni tumultus prælio illo cap. 19. Apocal. descripto, non inepte figurari videantur, successusq; ex illa parte nihil aliud ostendat, quam quod in semidirata Carthagine apparuit, *morientium* nempe *bestiarũ violentiores esse morsus*, diu duraturum difficulter potest concipi. Nec spernenda sunt omina, prodigia, * præsagia, & prædictiones, quæ tum præteritis temporibus, tum hoc decennio accidisse scribũtur. Abstrusiora profecto sunt, quam ut facili inquisitione penetrari possint; seriora, quã ut scurrili præjudicio damnari debeant. Et quamvis hoc ambitiosum scientiæ neglectum sibi vendicare compererim; tamen meliores mentes satius esse existimant, in spe & patientia eventum expectare, quam temerario judicio, divinis falsitatem, falsis veritatem, humanis divinitatem, naturalibus supernaturalitatem adscribere. Ego, etsi de divinitate veritateque tacere etiam malo: tamen nil fere insigne accidisse in Historiis evolutis comperisse me profiteor, quod non vel divinis, vel diabolicis, vel humanis, vel naturalibus, vel omnibus simul præventum sit prædictis. Tota quatuor Monarchiarum series in imaginibus Danieliticis latet; tota Ecclesiasticæ Historiæ synopsis Apocalypticis scripturis continetur: tamen & de his quædam delibavit Sathanas. Christi nativitatem, Sybillæ, Oracula, Sydera, præter divinos prophetas annunciavere. Quid themata natalitia possint, quid omnia valeant, *Iuli. Cæs. Bullengeri de divinatione opus*, & *Ducis Baronii Historia* docebunt. IV. *Probabile videtur mille annos Apocalypticos nondum impletos esse.* Nam si impleti fuissent, factum id esset vel prima vel secunda vel tertia periodo. *Non prima.* Nam tum septem sigilla suum habuere evẽtum

* Quid de modernis præsagiis sentiendum sit?

Digitized by Google

tum, nec quicquã extra illa accidit præter id quod de mulieris exilio & Draconis præsio scribitur: ingens etiam tum hæreticorum fuit numerus, & summus persecutionis æstus. *Non secunda.* Nã sub illa & Antichristianismus est exortus, & Mahumedismus. *Non Tertia.* Tum enim solutũ esse dicunt. At tum cœpit Ecclesia cum duobus testibus in præterita occisus resurgere, & Babylon declinare. Ejusdem sententiæ est, *D. Meade Theologus Cantabrig.* * amicus noster honorandus, qui est author *Clavis Apocalyptica ex innatis & insitis visionum characteribus eruta & demonstrata.* Reverendiss. *Vsserius* Hiberniæ primas duplicem millenariam statuit, *Martinius* vero pro longo tempore synechdochice eum sumit, & verius. Sed nolo in hanc rem plura istis quæ attuli; non tam quid certo dicendum sit, quam quid dici possit, ostendere volui, primum & secundum si excipias. Interim de duobus instrui desidero. *An* nimirum * *Antichristi ruina sit futura totalis*, & *An illam Sathanæ ligationem, hæresium, improbitatis & omnis omnino in Ecclesia visibili persecutionis* sit necessario subsecutura cessatio. De cętero Chiliastis à *Papiâ, Apollinari, Tertulliano*, & *Lactantio* defensis, qui *gemmatam per mille à resurrectione annos, in terris somniabant Ierusalem, hostiarum sanguinẽ, otium sabbathi, circumcisionem, nuptias, partus, educationem, epularum delicias, cunctarum gentium servitutem, Lunæ solarem claritatem, Solis septemplicem*; absit faveamus; petamus potius ut Deus oculo gratiæ suæ Ecclesiam afflictissimam aspicere, eidemque quicquid salutare est, concedere dignetur. Satis est si non nimium, sive autem hoc, sive illud, *gratia tibi Domine Iesu.*

* In libro de successione. †Dionys. Alexand.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

xj. Jũnii 1686. 6. ass.



Digitized by Google

Digitized by Google